



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Disputatio XI. De Prædicamento Qualitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

18 Sed contra, quia vel infinitudo in actu repugnat omni creaturæ vel non; si repugnat omni creaturæ ut inquit, & docet P. Suarez: ergo etiam repugnat quantitati, seu magnitudini ut sic, quia quod repugnat superiori repugnat omni contento sub illo: ergo adhuc per non repugnantiam non est proprietas quantitatis.

19 Si non repugnat enti creato ut sic non solum non repugnat quantitati, sed etiam qualitati, quia nulla cogit ratio ad asserendum repugnare qualitati, & non quantitati, & ideo qui asserunt posse dari infinitum in actu in quantitate, similiter asserunt posse dari infinitum in qualitate, non solum intensive secundum gradus, sed etiam extensive secundum partes eorumdem graduum extensas; unde Deus posset facere calorem ut unum infinite extensum sine aliqua intensione gradus ut duo, nam albedo, calor, & reliquæ qualitates, licet non habeant partes impenetrabiles à se, sed à quantitate, nihilominus habet partes entitativas secundum quas potest in infinitum extendi; ergo in hoc casu non est maior ratio, quare infinitudo adhuc sub distinctione possit convenire quantitati solum.


20 Aliæ proprietates sunt quæ proprius, & verius ut ita dicam, conveniunt quantitati, v.g. impenetrabilitas ratione cuius una quantitas expellit aliam ab eodem loco, & hæc soli, & semper convenit naturaliter quantitati, neque potest separari naturaliter ab illa sicut non potest risibilitas separari naturaliter ab homine, licet supernaturaliter possit. Item conversim prædicatur de quantitate, & sic est verum dicere, est quantum: ergo impenetrabile; est impenetrabile; ergo quantum: ergo in omni rigore est proprietas quantitatis; unde proprietas quantitati ut est continua, v.g. corpus, quæ sola est completa, & per se quantitas convenit proprie tamquam propria passio, imo, & numero quatenus habet rationem quantitatis convenit suo modo, quia sicut una quantitas est impenetrabilis, ita ternarius quantitatum est impenetrabilis, imo punctum est impenetrabile, quia est quantitas, & sic excludit unum punctum aliud à proprio loco, ratione cuius potest componi extensum à punctis, ut diximus in physicis.

21 Aliæ proprietates solent assignari, v.g. divisibilitas physica, extensio de quibus an sint proprie passiones alij longissime disputant, videantur quibus Lectorem remitto, quia angustiis temporum coarctamur, &c.



DISPUTATIO XI.

De predicamento Qualitatis.



QVÆSTIO I.

De significationibus nominis Qualitas.

PRIMO significat hoc nomen Qualitas differentiam substantialem, & essentialem rei, quod docet Aristoteles 5. metaphysice, cap. 14. & 28. & in predicamentis, id declarat ex modo interrogandi, & respondendi, nam

interroganti quale animal sit homo? responderi solet esse rationale: huius vestigiis insitit Porphyrius, dicens differentiam prædicari in quale.

Iurisperiti etiam hac utuntur significatione ut secundum Sazinum probat textus in lege stipulatio, digestis de verborum obligationibus, quapropter qualitatem esse asserunt quæ speciem ex differentibus declarat; unde quam Vlpianus in leg. heredes, 2. §. sed & si, ff. de testam. numerum. speciem appellat: eam Papinianus in lege qui non, 78. §. 1. ff. de heredi- bus instituendis, qualitatem seu differentiam vocat; similiter Caius in lege 74. digestis de verborum obligationibus, qualitatem demonstrari ait, cum certam speciem, aut differentiam nominamus, sive talis differentia sit specifica, sive individualis, per quam constituitur aliquid, veluti cum dicitur fundus Tusculanus, homo Stichus, ut patet ex lege sequi, cum vinum campanum optimum dicimus, ubi differentia substantialis fictione iuris nominatur illa perfectione vini campanici. Ea res, inquit Orho, facit ut ea appellatio certi significati- va sit.

Cum hac acceptione recurrit illa, qua qualitas pro tota specie sumitur, ut apud Ciceronem 1. acade, 36. ibi: sed quod ex utroque (id est ex materia, & vi) id iam corpus, & quasi qualitatem quamdam nominabant. Item lib. 2. acad. quest. earum igitur inquit, qualitatibus sunt aliæ principis, aliæ ex iis ortæ. Itaque aer, ignis, & aqua, & terra prima sunt. Ex iis autem ortæ animalium formæ earum rerum quæ gignuntur è terra, ubi principes qualitates vocat species integras elementa nimirum, aërem, ignem, aquam, & terram. Et in hac significatione dicent Iurisperiti qualitatem vini, frumenti, &c. species, seu genera vini ut in lege 21. §. sed etsi digestis, qui test. fac. cum lege 78. §. 1. ff. de heredi. instituendis lege 4. ff. de viui. leg. 75. ff. de verborum oblig.

Secundo significat nomen qualitas formam rei substantialem apud Ciceronem 1. acad. quest. 41. & cum ita moveatur illa vis, quam qualitatem esse dicimus, id est formam, & 2. de natura Deorum, illi autem quemadmodum allueverant ex corpulculis non colore, non qualitate aliqua, quam novæ græci appellant, non sensu præditis, &c. eodem modo utupat Vlpianus lege 14. de contrahenda emptione. Et apud Platonem passim hæc significatio, seu acceptio reperitur, ut in Thymæo, &c. item in Phedone, necnon & apud Aristotelem 4. metaphysice cap. 5. ubi materiam, quantitatem, formam vero qualitatem appellat; quin etiam in prædicamentis secundas substantias qualitates appellare videtur, quatenus secundæ substantiæ quælo quid significant, nimirum quia secundæ substantiæ aliquo modo comparantur ad primam per modum formæ.

Physici medici corpora concreta contemplan- tur, & tractant, qualitates primas, & secundas maxime considerant; primas vocant eas, quæ quatuor elementa prima constituunt, secundas ex his composita. Quatuor primas explicat Galenus lib. 5. de composit. medicament. & tom. 1. lib. 1. de elementis, & commentar. 1. in lib. Hippocratis de humena natura, quæ repetit idem 10. §. lib. 3. de natural. facultatibus, cap. 4. item 5. de simpli. medicam. quia primas qualitates causæ sunt, inquit, 1. de elementis omnia enim valide qualitates receptæ sibi simile corpus efficiunt; unde idem tom. 1. lib. de semine, scribit validas illas existima, & primas, quæ totam substantiam immutare possunt prima solas, ut idem

Quæst. II. Quid, & quæ sit qualitas. 647

idem scribit lib. de artis medica constitutione in Isagogicis. Et hæc primum docuit aperte Hippocrates; postea explicuit Aristoteles, vt idem scribit rom. 6. lib. 1. Methodi medendi, cap. 2. & rom. 1. lib. de natura lib. facultat. cap. 3.

Considerant, & Iuriconsulti intrinsecam, & extrinsecam qualitatem, & substantiam, vel specificam, & accidentalem: siquidem, & prædij qualiter se habere dicantur, secundum propriam bonitatem, salubritatem, & amplitudinem, apud Iuriconsul. Celsum in l. 86. quid aliud, de verbor. & rerum significat. lib. 5. tit. 16. vbi lego non æqualiter, sed qualiter, quamquam: sed num bene, ipsi viderint, Alciatus ipse, æqualiter legat, & aliter alij sentiant. Porro extrinsecam qualitatem prædij, est illa quæ servitutis impostio est, vt bene Baldus in authentic. ei qui, C. de bonis authorit. iudicis possidend. definitur, servitutem esse accidentalem habitudinem, & extrinsecam qualitatem prædij. Nam ea dum fundus vti optimus est, venditur, omnino excluditur, & liber censetur natura, vt scribit Venuleius Iuriconsul. in l. 75. quod ad servitutes de exstion. lib. 21. l. 2. considerant, & in delictis, seu criminibus, contractibus, testamentis, & alijs, & personarum, & negotiorum, & rerum qualitates, quæ per singula explicare non est necessarium.

Tercio significat quodcumque accedens, seu quaecumque accidentalem affectionem, vt Porphyrius in c. de genere, dixit accidentia omnia prædicari in quale.

Qualitas, inquit Gregorius Tolosanus, est ens accidentale, & forma accidentaliter incorporalis, ratione cuius vel secundum quam, quidpiam dicitur quale, veluti à iustitia dicitur iustus, à albedine albus: sic de similibus. Quæ qualitatis definitio sumpta est ab effectu, & à posteriori, nam qualitas est causa formalis qua efficiuntur quales; est & qualitas per passionem, vt dicimus, quale calefactum, refrigeratum, iustum per iustitiam, &c. habet etiam ex nostra coniunctione genus, & differentiam, satis autem superque constat genus, & substantiam, & accidentium generale esse ens.

Vltimo significat accedens quoddam reale absolutum à quantitate distinctum, in qua acceptione hic queritur quid sit.

Tandem alij sic definiunt. Qualitas est accedens reale constitutum ad perficiendam substantiam in suo esse, vel in virtute agendi.

Aliam denique definitionem hoc modo fabricatus est P. Hurtado. Qualitas est accedens absolutum à qualitate distinctum.

SECTIO II.

Nostra sententia proponitur.

Prima conclusio: difficillimum est naturam qualitatis vt sic secundum prædicata essentialia vnica definitione essentiali definire, quæ conveniat omnibus speciebus qualitatis. Tum propter varias convenientias quas species huius prædicamenti habent cum speciebus aliorum prædicamentorum. Tum maxime propter disconvenientiam diversissimam, qua dividuntur, & separantur species huius prædicamenti, ratione cuius maxime dividuntur Doctores in assignanda aliqua definitione comprehendente omnes qualitates, quod egerime sit ab ipsis: quapropter nulla ex eis quas numeravimus, est præcedenti aliquo defectu desinit laborare.

Secunda conclusio: prima definitio Aristotelis est vitiosa. Probatum sic: à paritate rationis, nam hæc esset defectuosa definitio, quantitas est quæ quanti esse dicimur, & relatio est quæ relati esse appellamur, & vbi est, quo vbiati constituimur: ergo propter eandem rationem defectuosa dicenda est Aristotelica definitio.

Secundo illa definitio quæ non est clarius definita ex eo quod explicet ignotum per æque ignotum laborat vitio obscuritatis: sed ita se habet hæc definitio: ergo est vitiosa: maior est vna ex regulis definitionis; minor probatur: hæc definitio explicat qualitatem per ipsum effectum formalem primarium: sed effectus formalis qualitatis est æque ignotus, ac ipsa qualitas, tam ignotum, & difficile est cognoscere quid sit quale, quam quid sit qualitas, ratione cuius obscurissimum est cognoscere quid significet hæc denominatio qualis, & qualitatis, & in quo distinguatur à denominationibus cæterorum accidentium: ergo.

Tertia conclusio: secunda, & tertia definitio non recte traduntur prima, quia insufficientes; nam illa est insufficientis definitio, quæ non convenit omnibus contentis sub ratione definiti vt sic: sed ita se habet hæc definitio: ergo, &c. probatur minor, in Angelis dantur veræ qualitates vt intellectiones, volitiones, intellectus, & voluntas: sed in Angelis non dantur formæ quas sequantur tales qualitates, quia cum Angelus sit substantia completa simplicissima, carens omni compositione essentiali physica, nulla constituitur forma substantiali, quam possint sequi qualitates Angelis: ergo.

Altera definitio desumpta ex Divo Thomæ non placet, quia dum qualitas dicitur modus, seu determinatio subiecti, vel sumitur quatenus modus distinguitur à propria entitate, & realitate simpliciter, vel quatenus in latiori quadam significatione dicitur modus: sed neutro modo explicat proprie essentiam qualitatis: ergo, &c. Probatum minor quantum ad primam partem, quia si qualitas in tali definitione sumatur rigore pro modo, definitio illius non convenit præcipuis

QVÆSTIO II.

Quid, & quæ sit qualitas.

SECTIO I.

Sententia adversaria proponitur.

ARISTOTELES 5. metaphysica agens de prædicamento qualitatis sic definit qualitatem. Qualitatem dico, quæ quales quidem dicuntur.

Alij ita definiunt: Qualitas est accedens absolutum consequens formam.

Alij vero sic definitionem faciunt. Qualitas est modus seu determinatio subiecti secundum esse accidentale, sic colligitur ex Divo Thomæ 1. 2. q. 49. art. 2.

præcipuis speciebus qualitatibus: ergo. Probatur antecedens, non conveniret habitibus, speciebus impressis, & expressis, neque potentijs, aut passionibus, &c. sed istæ sunt præcipuæ species qualitatibus; ergo. Probatur maior, quia istæ species sunt realitates, & non modi; ergo non conveniret illis hæc definitio; probatur minor præcipua quantum ad secundam partem; si modus sumatur latius, sumitur pro forma determinante capacitatem subiecti: atqui hoc modo sumpta definitio non solum convenit qualitatibus: sed etiam cæteris accidentibus, v. g. quantitati, relationi, &c. siquidem quantitas, relatio, &c. sunt formæ accidentales determinantes capacitatem subiecti: ergo.

6. Quarta conclusio: Quarta illa definitio solum convenit qualitatibus principalioribus, non autem omnibus; quia principales solum sunt quæ perficiunt substantiam ut pulchritudo, intellectus, voluntas, & virtutes, tam intellectuales, quam morales, præter has autem dantur aliæ qualitates, quæ non perficiunt: sed potius deformant, & ad defectum substantiæ conducunt, ut v. g. infirmitas, fœditas, vitium, & peccatum, quæ proprias qualitates sunt, & non potest eis definitio convenire: reijcitur tandem illa definitio, quia datur per distinctum, ut patet ex dictis in Summulis.

7. Ultima conclusio: definitio ultima non placet, quia potius explicat quid non sit qualitas, quam quid sit, quod est explicare per aliquid quod convenit alijs accidentibus, scilicet per distinctionem, nam relatio etiam non est quantitas. Item ex sententia P. Hurtado distinctio est secundarius conceptus rei: ergo si talis definitio traditur per distinctionem, quia qualitas distinguitur à quantitate, non est primaria, & essentialis: sed descriptiva, & secundaria; v. g. si aliquis definiret hominem dicendo, homo est substantia absoluta distincta ab equo; certe perperam definiret hominem, quia curte, confuse, & secundario definiret; ergo perperam definitur à P. Hurtado qualitas dicendo est accidens absolutum à quantitate distinctum.

8. Tandem, quia hæc definitio tota adæquata convenit ubi, quod non est qualitas: ergo convenit alijs à definito; antecedens sic probatur. Quia ubi est accidens absolutum à quantitate distinctum; ergo. Nec valet dicere ubi esse relativum transcendente ad substantiam quæ redditur ubicata, & præsens ex vi ipsius ubi.

9. Quia per te intellectus est qualitas, & in tua definitione comprehenditur: ergo est accidens absolutum: sed intellectus est relativus transcendentaliter ad obiectum, & intellectio-nem, quia ordinatur essentialiter ad illa, & specificatur ab ipsis; ergo signum evidens est relationem transcendentalem non extrahere rem cuius relatio est à ratione absoluti; ergo licet ubi sit relativum transcendente, nihilominus erit absolutum accidens distinctum à quantitate.

SECTIO III.

Nostri affirmativa sententia ponitur.

10. Conclusio: qualitas est accidens intrinsecum, absolutum ultimo realiter ac simpliciter complens substantiam; per illam particulam, ac-

cidens absolutum, convenit cum omnibus accidentibus per illam, ultimo complens substantiam, distinguitur à quantitate, quæ non ultimo advenit substantiæ; nam post quantitatem ultimo advenit qualitas; per illam particulam, realiter, ac simpliciter, distinguitur ab omnibus modis, ut ubi, duratio, &c. Item per ipsam particulam excluditur etiam à ratione qualitatibus figura si sit modus, nam si modus est non est vera qualitas; sed modificatio qualitatibus: si autem figura sit res, ut à multis neotericis asseritur, comprehenditur sub hac definitione, per illam particulam, intrinsecum, excluditur quæcumque ratio extrinsece afficiens subiectum; illa autem particula simpliciter realiter, denotat poniturque in definitione ad significandum, qualitatem esse realitatem simpliciter, eo sensu, quo quantitatem, substantiam, &c. solemus dicere esse rem simpliciter & non modum. Adverto hoc ne aliquis æquivocatione laboret propter illam particulam simpliciter, quia non ponitur ut per illam significemus constitutionem substantiæ per qualitatem esse simpliciter eo modo, quo forma substantialis primo essentialiter, & simpliciter constituit substantiam completam, qualitas autem non primo essentialiter, sed ultimo, ut verum simpliciter reale accidens, id est tanquam realitas simpliciter, & non modus constituit substantiam.

Sic definita qualitas comprehendit omnem qualitatem, quæ talis simpliciter, & absolute dicitur, nam omnis qualitas est accidens, & non relatio prædicamentalis, ac proinde est accidens absolutum; omnis qualitas ultimo advenit substantiæ ut absolute ac simpliciter res, ratione cuius separatur ab ubi, & alijs entitatibus, ut iam dixi, quæ licet ultimo adveniant, non tamen adveniunt ut realitates, sed potius ut determinationes, & affectiones subiecti.

Secunda conclusio: essentia qualitatis optime explicari potest per divisionem, quæ est secunda species modi sciendi, quæ in hunc modum fabricatur. Qualitas est accidens intrinsecum simpliciter reale absolutum, ultimo adveniens substantiæ ut eam adjuvet quoad esse vel quoad operari. Hoc modo explicata qualitas distinguitur à quantitate, quia effectus primarius quantitatis est tantum reddere substantiam materialem extensam secundum molem in ordine ad locum, quod est constituere substantiam in ordine ad aliquod extrinsecum, à reliquis autem accidentibus distinguitur, quia vel non constituit substantiam in ordine ad se, ut relatio constituit substantiam non ad se, sed ad terminum; ubi ad substantiam, actio, & quando in ordine ad productum, si consideretur in ordine ad agens; si autem quatenus est in passio, vel in termino concipitur, est in ordine ad agens; duratio autem seu quando, si concipitur ut conservatio, respicit agens conservans; si sumatur ut permanentia in esse, concipitur ut modus; & sic excluditur ab illa definitione, sicut cæteri modi. Ponitur in operari ad denotandas qualitates activas tam naturales, quam supernaturales, ut est gratia santificans, quæ ut essentia influit in omnes operationes supernaturales &c. Item character conducit ad operationes, aut Sacerdotis, aut Christiani. Item omnes virtutes tam morales, quam intellectuales, tam naturales, quam supernaturales.

Quæst. III. Quotuplex sit qualitas vt sic. 649

14 Imo si particula illa, operari, denotet aut physicam, aut intentionalem operationem, aut tandem conducere, aut disponere ad operandum videntur omnes qualitates in hoc sensu complere, aut constituere substantiam in ordine ad operationem.

QVÆSTIO III.

Quotuplex sit Qualitas vt sic.

1  RISTOTELES primo diuisit qualitatem in habitum, & dispositionem, ad hanc speciem qualitatis reduci possunt omnes habitus tam acquisiti, quam supernaturales, & per se infusi; naturales vt logica, metaphysica &c. quæ proprie labore acquiruntur; per se infusi vt habitus supernaturales spei, fidei, & charitatis, & hæc qualitates omnes, quæ habituum nomine insigniuntur, sunt aut facilitates, aut compingentia simpliciter necessaria ad operandum. Quid autem sit dispositio, & quomodo distinguatur ab habitu, postea dicemus.

2 Secundo diuisit Aristoteles qualitatem in potentiam, & impotentiam; ad potentiam reducuntur omnia principia naturaliter emanantia ab essentia primo, & per se ordinata à natura ad operandum, vt intellectus, voluntas, potentia sensitiva, & appetitiva, &c.

3 Tercio diuisit qualitatem in passionem, & passibilem qualitatem, ad quas reducuntur omnes qualitates, quæ non sunt actiue physice vt albedo, durities, rubor, & pallor.

4 Vltimo diuisit qualitatem in formam, & figuram, hanc multi excludunt à propria ratione qualitatis, ac proinde æquiuoce qualitatem vocant, nam ipsi asserunt non esse realitatem simpliciter, sed solum modum qualitatis. Alij autem, qui veram simpliciter realitatem appellant proprie qualitatem nominant, ad hanc reducuntur omnes figure v. g. circulus, quadrangulus, &c.

Alij diuidunt qualitatem primo in spirituales, secundo in materialem, aut corpoream; spirituales est, quæ immediate subiecto spirituali inhaerent, vt intellectus, voluntas, intellectio, volitio, &c. materialis est, quæ educitur ex potentia subiecti materialis, vt qualitas omnis quæ data est ad complendam, aut constituendam substantiam materialem, vt v. g. albedo.

5 Qualitatem spirituales iterum diuidunt in naturalem, & supernaturalem, de quibus iam egimus. Materialem subdividunt non solum Philosophi sed Medici in primam, & secundam: prima qualitas (quam vocat Galenus lib. de natura humana, commentar. 1. p. 1. de elementis corporum, immutatricem, & agentem) vt humiditas, frigiditas, caliditas, siccitas, quas obtinent aër, aqua, ignis, terra, secunda qualitas, v. g. gustus, affectio, austeritas, amaror, acerbitas, falcido, acrimonia, acor, dulcedo, pinguedo, nigredo, rubor, & similia duritia, mollities, friabilitas, lentor, fragrantia, & fetor; ex his secundis, primæ pertinent ad gustum, secundæ ad visum, tertiæ ad tactum, quartæ ad olfactum, ac tandem sonus ad auditum.

6 Quia primæ qualitates inquit Galenus 1. lib. de elementis validæ qualitates receptæ sibi simile R. P. Adept. de Peñañiel Theol. Schol. Tom. I.

corpus efficiunt, & como 1. lib. de semine, validas illas, ait, existima, & primas, quæ totam substantiam immutare possunt, & idem scribit lib. de artis medicæ constitutione in Isagogicis, & hæc primum docuit aperte Hippocrates, postea explicuit Aristoteles, vt idem scribit como 6 lib. 1. methodi, cap. 2. & como 1. de naturalibus facultatibus, cap. 3. vt supra, rursus. Galenus como 5. lib. 6. de compos. medicæ per genera tres qualitates medicamentorum constituit in genere: primæ facultates effectiue medicamentorum sunt, in calore, humiditate, & siccitate: secundæ amollientes, digerentes, reperiussoria, attractrices, coëctrices, deorsoria, excedentes: tertiæ glutinant vulnera, siccatricem inducunt, & carnem generant.

Aristoteles etiam lib. 2. de partibus animalium, 7 cap. 1. hæc vocat tria genera compositionum, quarum prima compositio sit ex primordijs, inquit, ijs, quæ nonnulli quatuor elementa vocant terram, dico aquam, aërem, & ignem, sed forsitan melius inquit Gregorius Tolofanus dicendum ex elementorum virtutibus confici, idque ex humiditate, frigiditate, caliditate, & siccitate: ceteræ autem differentie eas sequuntur, vt gravitas, leuitas, densitas, raritas, asperitas, lenitas, & reliqua id genus affectionis: secunda constitutio ex primis illis, inquit Aristoteles natura similium partium in animalibus est, vt ossis, carnis, & reliquorum generis eiusdem: tertiæ, & vltimæ numero partium dissimilium est, vt faciei, manus, & reliquorum insigniorum membrorum. Quod enim Galenus in medicinis à quatuor generalibus qualitatibus ad individuam tertiam pharmacorum vim restrinxit, Aristoteles ad tertiam compositionem inferiorum particularium membrorum traduxit.

8 Probatur nunc breuiter quod prima diuisio Aristotelica sit sufficiens, quia qualitas complens substantiam in suo operari, vel præbet primam virtutem, estque veluti primum, & proximum principium in genere qualitatis ad operandum, & sic constituit secundam speciem, naturalem scilicet potentiam, & impotentiam, vel tale principium non est prima virtus ad operandum: sed illam supponit, & dat solum ad connaturalius vel ad facilius operationem efficiendam, & sic constituit primam speciem, habitum scilicet, & dispositionem.

Si vero qualitas conveniat substantiæ ratione sui, & in ordine ad existendum, & illam vt sic constituat, vel compleat, vel ergo, complet illam vt modus consequens illius extensionem, & illam terminans, vel vt ornans illam in suo esse præcise primo modo constituit quartam speciem, formam scilicet, & figuram; secundo vero passionem, & passibilem qualitatem: sed nullus alius modus afficiendi substantiam primo, & per se in ordine ad illam, vel in ordine ad operationem est imaginabilis: ergo nec aliqua qualitas, quæ sub traditis membris non contineatur.

10 Quod autem sit insufficiens, probatur primo ab aduersarijs, quia plures sunt qualitates, quæ sub membris posita diuisionis non continentur, vt actus immanentes, species intentionales raritas, & densitas, gratia habitualis, characteres sacramentales, de quibus omnibus in particulari potest probari, quod ad nullam ex annumeratis speciebus possint pertinere.

Ad hoc argumentum Respondeo negando antecedens, nam actus immanentes ponuntur primo, N n n n mo,

mo, & per se sub tertia specie passionis scilicet, & passibilis qualitatibus, licet oppositum placeat Suario 10. 2. metaphysicae, disp. 42. sect. 3. num. 15. sed de hoc iterum infra, species vero intentionales in prima (& ideo à multis habituum nomine insigniuntur; Alij autem melius ipsas dispositiones appellant) collocantur specie, supponunt enim in anima potentias conferentes primam virtutem, Raritas etiam, & densitas sunt qualitates pertinentes ad tertiam speciem.

12 De gratia vero habituali, & habitibus infusis, & characteribus baptismatis confirmationis, & ordinis est maior difficultas.

13 Vnde Respondeo primo Aristotelem qualitates supernaturales non cognovisse vlllo modo, atque adeo loquendo iuxta eius mentem, & ordinationem prædicamenti qualitatibus dicendum esse illas non collocari in illo.

14 Secundo respondeo semel cognitis his qualitatibus supernaturalibus lumine fidei, nullam esse ex illis, quæ ad aliquam ex quatuor speciebus qualitatibus primo, & per se non possit pertinere, nam gratia habitualis pertinere potest ad tertiam speciem, ipsa enim primo, & per se constituit creaturam rationalem in qua est in esse confortis divinæ naturæ, & hoc verum erit si supponamus gratiam habituales non esse operativas, ut multi probabiliter asserunt, nam in eorum sententia gratia non concurret effective ad actus supernaturales, sed solum moraliter dando valorem supernaturalibus operibus ad merendum de condigno. Vnde gratia non est primo, & per se ordinata ad conferendam animæ virtutem effectivam agendi supernaturaliter, sed solum ad sanctificandam illam, & constituendam filiam Dei adoptivam, & Christi Domini coheredem.

15 Si autem supponamus esse primo, & per se operativam ut supra dixi (ratione cuius concurret cum omnibus habitibus ad actiones supernaturales per modum principij universalis concurrando cum vnaquaque virtute ad propriam illius operationem) dicendum est esse quali potentiam in ordine supernaturali, quia nullam aliam ordinis supernaturalis virtutem activam supponit: sed potius ipsa supponitur immediate inherens animæ quali prioritate naturæ ad omnes habitus per se infusos, & ideo à multis doctissimis viris potentia supernaturalis nuncupatur.

16 De habitibus vero infusis, & characteribus sunt qui existunt illos constituendos esse in secunda specie, quia putant esse vere potentias; alijs tamen dicendum videtur forte probabilius characteres locandos in tertia specie, quia ut ipsi aiunt non conferunt animæ virtutem aliquam ad agendum, sed solum sunt signa quædam supernaturalia, quibus destinatur vel consignatur homo ut aliqua ex officio possit efficere, vel ut ab infidelium grege secearnatur.

17 Habitus autem per se infusos communis sententia Doctorum collocat in prima specie, ut ex ipso nomine quo insigniuntur, & afficiuntur patet; nam licet ordinentur per se ad effectus supernaturales effective præstandos, non tamen conferunt primam virtutem ad illos; tum quia præsupponunt gratiam in prima infusione licet fides, & spes quando gratia per peccatum amittitur separentur à gratia, & permanent in anima, ac proinde præsupponantur existentes ad

secundæ gratiæ infusionem, quando à peccato resurgit fidelis ad statum iustitiæ, & sanctitatis.

Secundo sic probant adversarij insufficiens-¹⁸ tiam huius divisionis, quia latior est, & amplior quam par est, continet enim sub membris dividentibus plurima entia quæ qualitates non sunt, & ad diversa pertinent prædicamenta. Imprimis enim dividitur in habitum, & dispositionem, cum habitus pertineat ad prædicamentum habere, & dispositio ad situm, nam sedere, stare aut cubare, quædam corporis dispositio est.

Secundo sub potentia, & impotentia conti-¹⁹ nentur omnes potentia tam activæ quam passivæ: sed ex potentijs activis, & passivis aliæ sunt substantiales ut potentia passiva materiæ primæ, & animæ rationalis ad recipiendum intellectum, & voluntatem, & obediencialis eiusdem animæ ad sustentanda accidentia supernaturalia. Item potentia activæ multæ sunt substantiales, ut potentia obediencialis activæ, quæ datur in substantia creata ad producendos effectus supernaturales. Item potentia activæ ignis, quæ hoc elementum cum calore, & siccitate producit aliud sibi simile alterum nimirum ignem: sed potentia substantialis, sive activæ, sive passivæ non pertinet ad qualitatem: ergo. Tandem impotentia est quædam privatio virtutis, & potentia ad efficiendum: sed qualitas non est privatio: ergo.

Ad hoc argumentum nego antecedens, nam²⁰ imprimis hic non sumitur habitus pro veste, quo pacto pertinet ad prædicamentum habere, neque etiam sumitur pro possessione alicuius rei, ratione cuius, qui possidet argentum, & aurum dicitur habere illa; sed potius sumitur pro qualitate activæ primo, & per se ordinata ad agendum, eo modo quo diximus. Deinde hic non sumitur dispositio pro illa, quæ in argumento adducitur, quia talis dispositio ad solum prædicamentum situs pertinet: sed pro eadem habitus entitatis in statu remisso, & imperfecto.

Præterea concedimus in secunda specie conti-²¹ neri omnes potentias tam passivas, quam activas superadditas, & distinctas à parte rei ab ipsa substantia, quæ potentia veræ qualitates sunt, ut potentia nutritiva generativa, & hæ sunt potentia pure activæ, quia terminos productos per illas non recipiunt in seipsis; aliæ sunt potentia partim activæ, & partim passivæ, ut sunt cognitio, & appetitio, v. g. intellectus, voluntas, sensus interni, & externi, qui ex natura sua ordinantur ad producendum, & recipiendum in seipsis non solum actiones, sed etiam terminos quos produciunt, ac proinde potentia immanentes vocantur. Aliæ autem potentia quas assignant adversarij, ut potentia animæ ad informandam materiam primam, potentia materiæ primæ ad recipiendam formam substantialem, cum nullo modo distinguantur à substantijs, nec superaddantur à parte rei entitatibus illarum, non sunt veræ qualitates, ac proinde non ponuntur in hoc prædicamento.

Ultimo dico impotentiam hic non sumi pro²² negatione, seu privatione potentia, sed potius pro positiva potentia, imbecilli tamen, & exigui roboris.

Quæst. IV. Vbi natura vniuscuiusque, &c. 651

QVÆSTIO IV.

Vbi natura vniuscuiusque speciei Qualitatis explicatur.

PRIMA conclusio: potentia est principium proximum alicuius actus secundum ad quem natura sua institutum, & ordinatum est, in qua descriptione subintelligitur genus qualitatis, per quod potentia convenit cum alijs speciebus huius prædicamenti, & distinguitur à rebus aliorum prædicamentorum. Per illam vero particulam principium proximum, &c. declaratur (vt bene notat P. Suarez) in primis ratio ob quam huiusmodi potentia est qualitas, & peculiariter distinguitur à forma substantiali, quæ licet sit principium operationis, non tamen proximum, & determinatum seu particulare, sed potius universale, & indeterminatum, aut indifferens ad varia genera operationum, & actionum, potentia autem de genere qualitatis determinatum, ac proximum principium, alicuius generis operationum, quæ ratione distinguitur à parte rei ab ipsa substantia vel substantiali forma, ex quo plane sequitur huiusmodi potentiam esse vere qualitatem, quia in nullo alio accidenti genere collocari potest.

2. Nomine autem actus secundi in ea definitione intelligi potest tam exercitium activum quam passivum, tam actio quam receptio, vt definitio communis sit potentia activæ, & passivæ. Quamquam si verum est nullam esse puram potentiam passivam ad hanc speciem qualitatis pertinentem, recte possumus intelligere nomine operationis id quod nomen ipsum proprie significat, scilicet actionem, vel actum proprie manentem ab ipsa potentia, seu facultate: qui duplex est vnus egrediens à potentia, & transiens in aliud subiectum, alius manens in ipsamet potentia quæ est principium proximum eius, & ita distinguitur duplex potentia, vna pure activa, alia vero etiam receptiva seu passiva, non oportet autem addere, quod operatio accidentalis sit, vt aliqui significant, quia licet frequentius huiusmodi sit talis operatio, tamen etiam si substantialis sit, vt est substantiæ generatio, nihilominus potentia quæ est principium proximum eius, & non principalis erit accidentalis qualitas.

3. Subintelligitur in illa definitione potentiam esse principium proximum essentialiter necessarium ad operationem per quod distinguitur potentia ab habitu, nam licet habitus sit proximum operationis principium, non tamen est per se, & essentialiter requisitum ad illam in quo à potentia differt, vel fortasse melius, & universalius intelligendum de principio proximo, quod ex parte operationis sit primum, & quasi radicale in illo ordine, hoc enim solet simpliciter, & quasi per antonomasiam vocari principium proximum, quamquam enim principium proximum comparatione principalis non sit primum, nec radicale, sed secundum, & radicum in primo, tamen quando in ordine principij proximi plura concurrunt subordinata inter se vnum eorum in eo ordine primum, & radicale, & illud habet rationem potentia, cætera vero sunt habitus vel dispositiones talis potentia, & propter hanc rationem

R. P. Maph. de Penafel, Theol. Schol. Tom. I.

nem posteriorem, diximus supra gratiam sanctificantem esse potentiam ordine supernaturali, & hoc modo non solum habitus seu virtutes acquiræ, sed etiam virtutes per se infusæ, & supernaturales, & species intentionales. Imo quidquid huiusmodi est à ratione potentia excluditur.

Posuimus ultimo in prædicta definitione principium quod denominatur potentia, debere necessarium esse per se primo institutum, & ordinatum natura sua ad operationem, vt excludantur qualitates illæ, quæ licet sint principia proxima suarum actionum, non tamen sunt per se primo ad illud munus institutæ, sed solum ad disponendum, & perficiendum formaliter subiectum, ex quo consequenter habent vt possint agere sibi similia: hæc namque qualitates essentialiter constituent in tertia specie passibilium qualitatum, & non habent propriam potentia specificationem, & ideo non comprehenduntur à nobis in definitione potentia, quæ est peculiaris species qualitatis, ex eo quod à natura primario, & per se sit ordinata ad operandum.

Vt autem aliqua regula detur, per quam cognosci possit, quæ qualitas hoc munere fungatur, & à natura per se ordinetur ad operandum, advertendum est eam qualitatem institui à natura primo, & per se ad operationem, quæ talis conditionis est, vt seclusa necessitate actionis, vel actus non solum non sit necessaria, verum etiam superflua conferretur in naturam, v. g. intellectus voluntas, & omnes potentia, quæ sine suis actibus imperfectum habent statum, & proflus supervacaneæ conferuntur nisi tales actus essent possibiles, & propter illos ipsæ essent necessariae, quod satis constat ex communi conceptu, & ratione talium potentialium.

E contra verò quando qualitas talis est, vt seclusa actione, vel actu eius per se sit propter suam formalem perfectionem, necessariam substantiæ, tunc signum manifestum est talem qualitatem non esse per se primo institutam propter actionem, sed ob suam formalem perfectionem, & huiusmodi sunt calor, frigus, & similes.

Impotentia tria significare potest, primo carentiam potentia ad aliquem effectum, secundo imbecillitatem positivam ad aliquid efficiendum, qualiter est tarditas aut hebetudo ingenij, aut valetudinaria complexio: tertio significare potest vnā potentiam realem comparatam ad actus alterius potentia, quorum respectu impotentia dici potest, quatenus eos producere non valet, quo sensu potentia audiendi dicitur impotentia videndi, & hæc impotentia odorandi, &c. Ex quibus manifeste patet impotentiam non esse speciem qualitatis à potentia distinctam, nam in prima significatione est negatio, ac proinde non est qualitas, in secunda vero solum differt à potentia secundum magis, & minus, quia ingenium magis perspicax eiusdem est speciei cum tardiori, & hebetiori, vt visus iuvenis cum visus senis, cum ille potentia, hic impotentia appelletur. Minus adhuc differt impotentia in tertio significato, quia visus non habet aliquam specialem rationem propter quam dicatur impotentia audiendi: sed ex propria essentia qua constituitur in esse potentia videndi vendicat sibi non inclinare in actus audiendi. Igitur impotentia nullo modo constituit speciem à potentia distinctam, sed eadem vis quatenus imbecillior est, impotentia dicitur, & in eadem specie collocatur non sub ratione impotentia

Nnnn 2 tentia

tentia quæ nihil reale est, sed vt potentia cui annexus est ille defectus; sunt in hac specie omnes potentia vitales, multæ virtutes herbarum, & lapidum occultæ, vt virtus residens in magnete, in succino, quod vulgo ambar dicitur, & alia potentia quæ reperiuntur in piscibus, vt in remora, & torpedine, &c.

Secunda conclusio: Habitus nihil aliud est, quam qualitas quædam permanens, & de se stabilis in subiecto per se primo ordinata ad operationem non tribuens primam facultatem operandi, sed adiuvans, & facilitans illam; dicitur autem hæc qualitas permanens, & stabilis, vt distinguatur ab ipsis actibus, qui dicuntur esse quasi in continuo fieri, quia ab actuali influxu potentiarum pendunt, & ideo non solum qualitates sunt: sed etiam actuales operationes potentiarum vitalium; habitus vero non habet hanc dependentiam, sed permanet cessante actu influxu animæ in qua est, non vt actus secundus: sed vt actus primus, nam ad hoc causatur in anima vt eam promptam reddat ad actus secundos eliciendos; unde eadem experientia quæ probat esse huiusmodi habitus, probat etiam esse hoc modo qualitates permanentes, quia ex actibus relinquuntur in homine hæc facilitas, etiam postquam cessat ab operatione, nam cum postea ad operandum reddit maiori promptitudine, & facilitate operatur, permanet; ergo in ea qualitas dans huiusmodi promptitudinem, atque facilitatem, ac proinde in hoc sensu intelligendum est cum dicitur habitus difficile mobilis, si per illam particulam id quod est essentialiter, & generale habitui, & non aliquis status accidentaliter, vel specialis aliqua proprietas alicuius habitus seu virtutis significanda sit. Ponitur illa particula in definitione habitus per se primo ordinata ad operationem, quia agimus de proprijs habitibus re ipsa, & essentialiter distinctis à cæteris speciebus qualitatibus, huiusmodi autem nulli sunt nisi illi qui propter operationem sunt, nam si aliquæ facultates vocantur habitus, vt bene notat P. Suarez, eo quod bene, vel male ac stabiliter disponant subiectum in ordine ad esse, illæ secundum propriam essentiam magis pertinent ad passibiles qualitates. Denique dicta experientia per quam hos habitus probamus simul declarat primarium finem horum habituum dare promptitudinem in operando, hæc ergo ratione dicimus per se primo ordinari ad operationem.

2. Vt autem melius intelligatur natura habitus ponimus illam particulam, non tribuens primam facultatem operandi, per quam non intelligimus solum principium principale, seu radicale operationis, quod est anima: sed proximam facultatem, quæ absolute confert primam potestatem operandi, hanc enim supponit habitus, & illam iuvat ad operandum. Hæc definitio proprie convenit habitibus acquisitis, sed ex illa potest fieri alia, comprehendens omnes habitus tam supernaturales, quam naturales, quæ sic debet formari. Est qualitas superaddita potentia vitali ad permanentem, & connaturali modo operandum primo, & per se ordinata, in qua definitione ponitur illa particula addita potentia vitali, vt distinguatur ab ipsis potentijs, quæ cum non supponant alias potentias, non superadduntur illis, reliquæ particule iam explicatæ manent, & facile accommodari possunt omnibus habitibus.

QVÆSTIO V.

Vbi multa pertinentia ad habitus naturam elucidantur.

SECTIO I.

Variæ conclusiones ponuntur.

PRIMA conclusio; habitus est aliquid distinctum realiter à potentia: hæc est communis, probatur primo, quia vltima facultatem consequimur tam in bono, quam in malo, qua facilitate ante exercitium actus carebamus in potentia; ergo illa facilitas est aliquid distinctum realiter ab ea, cum possit accedere potentia, & recedere ab illa eodem modo perseverante potentia, nec sit aliquid à mente confictum: sed ante omnem fictionem vere, & à parte rei existens.

Hanc rationem inefficacem reputat P. Salas, quia idem obiectum cum potentia, & eadem eius dispositio, & eadem cognitio prævia minus delectare vel contristare solet progressu quam initio temporis, quia natura appetitus est, vt circa nova obiecta melius operetur cæteris patibus, quam circa antiqua: & simile quid est cernere in gravi tendente ad centrum, quod cum eadem habeat gravitatem, nec illi addatur aliquid formæ, nihilominus velocius movetur, quo propinquius est centro.

Verum hæc sunt frivola, nam antiqua multo citius plus delectant, quam nova, quod in rebus divinis est cernere, quæ vt ait Divus Greg. dum non habentur, fastidiuntur, dum vero experimentum sui faciunt, sunt in desiderio, & quidem dicere ibi non variari cognitionem, si varietur effectus, est divinate, cum videmus, ea quæ nobis vltimo fastidium sui pariunt, remisse proponi à cognitione. Item non est eadem dispositio, cum secundo, circa aliquod obiectum versamur, ac cum primo; nam ipsa temporis varietas maxime confert ad humanos actus. Tandem quod de motu gravis assertum non est ad intentum, nam pro diversa dispositione diversimode movetur pro distantia scilicet, vel propinquitate centri; unde cætera non sunt paria, vt est manifestum.

Et vt demus doctrinam talem esse veram, nihilominus robur non parvum habet ratio nostra. Nam obiecta recentia plus movent; ergo vt hæc ipsa iterata fastidium sui non patiantur, aliquid necessario addendum est à potentia, & actu distinctum vt videtur clarum, quia id quoddammodo est naturam superare. Est autem clara experientia assuehere nos rebus, quæ iteratæ semper placent, imo plus placent, quod apparet in operationibus virtutum; vltimo enim dulcescunt taliter, vt multoties sine labore exerceantur.

Dices cum alijs id provenire ex remotione impedimentorum. Sed contra, quia in vitæ est viscosus humor impediens, & in alijs; in animo autem rationali nihil simile fingi potest, cum enim sit spiritualis, non habet ex se feces actus proprios impediens. Quod si vltimo vitio sum à se abiecit, de illo ipso vitioso rogabo, quid sit, non enim id habet à natura quæ est purissima.

& ita tantum vsu est comparatum, & similiter contingit cum per vitia promptitudo ad bonum obliteratur.

4 Secundo probatur, nam dantur homines sapientissimi, & qui naturas rerum apprimè callent, & de virtutibus, & vitijs eruditissime disputant, qui nihilominus ob pravam peccandi consuetudinem ita sunt vitijs obstricti, vt emergere vix possint, & si aliquando respiciant, statim in peccata relabuntur, in his planè à potentia, & speciebus aliquid est distinctum quod in voluptates inclinât vitas.

Nec potest dici id provenire ex dispositione corporis, & calore fervente, vidimus enim senes aliquos, in quibus pene emotus naturalis calor fuerat in vitia proclivus, quia versa in naturam fuerat consuetudo, & si nobis non sit fides, sit sacra scriptura, quæ duos illos iudices Sufannæ dierum malorum inveteratos narrat in eius concupiscentiam exarsisse, cuius ardoris causam præbuit Daniel, dicens sic faciebatis filiabus, &c.

5 Tertio probari potest ex habitibus infusis, quos omnes Theologi admittunt cum Tridentino *sessione 6. cap. 7.* sicut enim illi non sunt potentia ipsæ vitales, neque species rerum, sic acquisiti esse possunt, quos experientia compertum est comparari.

6 Secunda conclusio: Habitus proprie sumptus debet dicere ordinem transcendentem ad operationem. Probatur primo, nam habitus proprie sumptus dicit rationem aliquam ab omnibus alijs speciebus qualitatibus distinctam: sed hæc non est alia præter ordinem ad operationem vt quid se tenens ex parte potentia: ergo illa ratio illi maxime est essentialis; probatur minor, maior enim est sine controversia, nam in habitu invenimus esse difficile mobile à subiecto, quæ ratio convenit potentia, passibili qualitati, &c. & ita per hanc non distinguitur: invenimus præterea esse aliquid additum potentia, quod si ita est ad operationem ordinatur necessario, nam potentia, vt potentia nihil addi potest nisi in ordine ad operationem, cum potentia vt potentia ad operationem ordinatur.

Dices, potentiam etiam ordinari ad operationem; sed hoc est fatuolum, quia nos non dicimus per præcise ordinem ad operationem constitui: sed per hoc, quod sit quid potentia additum ordinatum ad operandum, quæ duæ rationes habitum constituent.

7 Secundo habitus distinguitur à passibili qualitate: rogo per quid distinguatur, si per ordinem primarium ad operationem non distinguuntur? certe hæc dicitur qualitas difficile mobilis à subiecto, quæ illud recte se habet in ordine ad se, sed hoc totum habet illa qualitas non operativa; ergo dicendum est solum per ordinem transcendentem ad operationem superadditum potentia distinguatur habitum à quacunque alia.

Ex quibus omnibus colligitur falso asserere Thomistas sanitatem, pulchritudinem, & similes qualitates esse habitus; nam pulchritudo ex Aristotele est dispositio recta membrorum, cum quadam suavitate coloris; sanitas autem est debita humorum temperatio, quis autem non videat in his definitionibus includi plures qualitates primas, & secundas, quarum aggregatio nequit efficiere vnum aliquid per se in prædicamento collocabile, eo modo quo collocatur habitus. Sanitatem efficiunt temperatae qualitates; pul-

chritudinem efficiunt figura, & color. Ecce plura ex quibus vnum tantum ens per accidens resultat.

Quod si dicas illa concurrere vt materialia substracta ex quibus vna qualitas absolute resultat.

Contra est, nam ex præcisa humorum contemplatione, etiam si nihil addatur intelligimus formalissimam sanitatem; pone enim à Deo separati qualiteram illam, vt potest, certe nihilominus proportio remanebit humorum, in qua formaliter consistit sanitas. Item humores non vniuntur inter se, vt est clarum; ergo nequit vna qualitas absolute talis esse in illis. Pater consequentia, quia vnum continuum, & vnum numero idem sunt secundum Aristotelem.

Dices Aristotelem, & Divum Thomam docere sanitatem, & pulchritudinem esse habitus.

Respondeo esse habitus in lata quadam significatione, quatenus per illa bene se habent permanentiter subiecta in ordine ad se; hic autem tantum loquimur de habitu in speciali, & propria significatione, eo modo, quo sufficiens est ad constituendam specialem rationem in prædicamento collocabilem.

Dices pulchritudinem esse qualitatem sensibilem, quæ percipitur à visu; ergo non est ens per accidens; nego antecedens, quia non est qualitas, sed aggregatio qualitatibus. Deinde nego consequentiam, nam numerus etiam est ens per accidens, & à sensu percipitur, sicut cumulus, qui in omnium sententia ens per accidens est, & est visibilis: pulchritudo ergo est aggregatum ex proprijs sensibilibus, ob quam rationem percipi visu potest.

SECTIO II.

Alia conclusiones circa habitus naturam proponuntur.

Tertia conclusio: habitus est causa efficiens æquum: hæc est contra Aureolum, Durandum, Paludanum, Hurtado, & alios asserentes habitum nullo pacto esse effectivum sed dispositive tantum concurrere, quasi pondus quoddam imprimendo ipsi potentia: defendunt hanc conclusionem Suarez, Valentia, Salas, Vasquez, Fonseca, Conimbricenses, Florentia apud Muriam. Probatur primo, quia ex nullo capite implicat activitas habitui; ergo illi non est neganda. Probatur antecedens; nam ratione vitalitatis repugnantia esse nequit ex parte actus, sic enim nec species impressa concurreret, nec quia est actu imperfectior ob eandem rationem, nec quia habitus est; nam habitui vt talis est, non repugnat activitas; habitus enim supernaturales efficienter concurrunt, & species quæ ad habitum à P. Hurtado redduntur.

Dices habitus supernaturales, & species concurrere, quia ipsi in effectu aliqua formalitas responderet, quæ nequit habitui acquisito respondere.

Sed contra primo, nam cum causa adæquata non adæquate concurrente potest alia concurrere, ex quibus vnum principium adæquatum coalescit; ergo cum potentia illo pacto concurrente poterit habitus concurrere, ex quibus vnum adæquatum principium coalescat; probatur antee-

Nnn 3 dens

dens in duobus portantibus lapidem, quem quilibet seorsum portare possit, si maiorem conatum adhiberet.

20 Contra secundo, quia non minus implicat concurrere duas causas eo modo, quo obijciatur, quam cum dispositionibus adæquatis poni aliam minime necessariam, hoc non implicat in opinione adversariorum; ergo nec illud: maior est clara, nam activitas determinatur per dispositiones: sicut ergo implicat posita virtute adæquata aliam superaddi, sic & superaddi dispositiones dispositionibus adæquatis, quam etiam essentialiter supponit potentia; minorem autem probō, nam habitus dicitur concurrere tantum dispositive, quæ dispositio non est necessaria ut fatentur adversarij; ergo iam cum dispositionibus necessarijs concurrat alia, ex quo sequitur etiam cum causa posse aliam ad melius esse concurrere.

21 Probatur secundo principaliter, quia si habitus efficienter non concurrat, non videtur, quomodo facilius possit potentiam reddere, primo enim non tollit impedimentum, quia in potentijs non semper illud est, nec enim scientia necessario præsupponit errorem, aut virtus vitium. Deinde non disponit ad receptionem actus, quia nos experimur difficultatem non contingere in actus receptione: sed in ipso eliciendo, & ut deus facilitare ad receptionem, certe negari non potest etiam potentiam circa effectum difficultatem pati, sic enim dicit conatum in quo est difficultas, quis enim non difficile conetur contra impetum fluminis, & contra sensibilia quæ rapiunt appetitum? Quod autem dicitur habitum esse quasi pondus quoddam in obiectum quo formaliter potentia, quasi in ipsum propendet, est insufficientis, & impugnatur à simili, gravitas enim qua grave in centrum inclinatur activa est motus, & cum illud est extra propriam locum, conatus, quem habet grave per aliquid est activitatem continens, lapis enim supra trabem, impetum illi imprimit, quo paulatim ipsam disrumpit, & in centrum venit. Tum quia impossibile est, qualitatem aliquam dari solum ratione actionis, & minime esse activam, & involuitur repugnantia in ipsis terminis. Tandem, quia videtur absurdum asserere scientias, & virtutes non esse activas, definiuntur enim per actus, & ab illis specificantur, quod non stare, quia tota illarum perfectio circa potentias immediate versatur.

Tandem per efficaciam habitus melius explicatur quo modo potentia facilis reddi possit, pondus enim aliquod facile plures portat, unus egre, quia non habet à quo iuveat: calidum plurimum partium citius spatium calefacit: ergo potentia facilius cum habitus concursu actum elicit; alio autem modo vix intelligi potest quo pacto habitus ad facilitatem conferat, quis enim non rideat id quod dicit P. Hurtado §. 52. habitum esse quoddam quasi preces ab actu relictas; missela profecto opinatio, quæ ut possit capi, & admitti ad preces confugit.

Quarta conclusio: intensio actus non respondet potentia taliter ut sine illo ipsa non possit ita intense operari, aut perfectior esse actus à potentia, & habitu procedens, quam fuit actus, à quo habitus ipse genitus est; sic Suarez, Hurtado, & alij; probatur quoad primam partem, nam ex eo sequitur habitum concurrere ad substantiam actus, quod authores contrarij negant; patet sequela, quia intensio fit per additionem

gradus in quo proprie ratio talis qualitatis invenitur: ergo si habitus gradum illum producat, iam actus substantiam producat, & non solum modum illius actus. Item id quod per intensiōnem additur est proprie vitale; ergo nequit soli habitui respondere: sed potentia, quæ formaliter est vitalis.

Quod vero potentia sine habitu possit eundem gradum producere quoad intensiōnem patet, quia habitus acquisiti non sunt simpliciter necessarij; ergo quidquid potentia cum illis efficit, potest efficere sine illis; patet consequentia, quia in hoc distinguuntur habitus acquisiti, à per se infusis. Nec dicas sine infusis actum neque intensum, neque remissum fieri posse, sine acquisitis autem posse effici, actus remissos, & non intensos. Ex hoc enim iam habemus habitus acquisitos saltem esse necessarios absolute ad actus intensos, quod est esse ad substantiam necessarios, ut probavimus, & authores oppositi non concedunt. Deinde sumo actum sine perfectione illa intensiōnis, ut dicitur factibilis à sola potentia, ille potest facile, & difficile fieri, & consequenter sine habitu, & cum illo; ergo facilitas non stat in modo intensiōnis; probō antecedens, quia facilitas non dicit perfectionem actus ut constat, quia multoties ea quæ facile sunt sunt valde imperfecta, quæ difficile autem perfectiora, quod frequenter videmus in poetis, qui enim faciles sunt in eudendis versibus non efficiunt poemata plausu excipienda, qui autem plus laboris, & difficultatis expendantur opera edunt famæ æternæ, ut de Virgilio accipimus, & in alijs docet experientia.

Tandem potentia habitus capaces sine ordine ad habitus specificantur ab omnibus actibus immediate; ergo intra earum obiectum sunt perfecti actus, & imperfecti, quos naturaliter efficere poterunt, quod ex eo constat, nam ad actum perfectum solum requiritur potentia, & species; ergo habitus absolute necessarius non est, quia potentia de se est productiva omnium actuum quoad vitalitatem, per speciem autem determinatur potentia ad talem speciem actus, ratione cuius omnes formalitates relucens in actu possunt respondere potentia informata specie: ergo possunt effici sine concursu habitus à potentia.

Ultimum autem quod in conclusione diximus non posse scilicet habitum producere actum perfectiorem eo à quo genitus est probatur, quia habitus est quasi pondus, & impulsus relictus ab actu: sed actus nequit impellere ad alium actum se perfectiorem; ergo nec habitus illum producere; maior est clara, & minor probatur, quia si actus actum produceret, non posset alium se perfectiorem producere, nihil enim operatur ultra suam virtutem, nec potest actus ille perfectum formaliter quoad illam maiorem perfectionem in imperfecto contineri, (nihil enim, aut operatur aut continet ultra suam virtutem) & multo minus eminenter, cum eminentia sit respectu causæ altioris ordinis: si ergo actus actum producere nequit illo modo; ergo, nec virtus ab ipso relictæ, scilicet habitus ad perfectiorem se potentia inclinare.

Dices ex se non posse, bene tamen ut coniungitur potentia quæ est quolibet actu perfectior: sed hæc responsio non erat necessaria cum in eo quaestio verteretur, an scilicet potentia cum habitu ratione illius possit actum perfectiorem elicere.

Deinde

Deinde potentia ex se potest omnem perfectionem actus producere sine habitu, & consequenter cum illo, quia ex eius consortio non redditur potentior aut impotentior, cum ratio potentia sit indivisibilis, ratione cuius neque crescit neque diminuitur, sed perfectionem illam non habet ab habitu, nec ratione illius ad maiorem perfectionem inclinatur, & hoc est quod contendimus, & probamus.

Uterius ex eo quod tradidimus in controuersijs, & disputationibus de ortu, & interitu, intensionem fieri per gradus dissimiles: ergo actus habitum producens toridem gradus in illo efficit dissimiles; ergo illi non poterunt inclinare ad actum graduum ulteriorum, quia illi sunt dissimiles actibus à quibus habitus est productus.

Nec potest dici actum cum sit perfectior, producere posse plures gradus intentionis in habitu, quia isti gradus imperfectiores sunt. Ex hoc enim sequeretur vno actu produci omnes gradus intentionis naturaliter possibiles, quia omnes illi gradus sunt inferioris ordinis, quod statim videtur quam sit falsum, vno enim virtutis actu esse iam virtuosissimi: flet ergo actum toridem ad summum gradus in habitu producere, quod praeterea declarat habitus, & actus naturalis proportio, qui circa idem obiectum versantur, & eodem fere modo speciem ab illo accipiunt.

SVBSECTIO III.

In qua reliquae conclusiones ponuntur.

²³ Vinta conclusio: habitus concurrir ad substantiam seu entitatem actus, & non tantum ad modum facilitatis.

Probat, nam modus facilitatis, vel est aliquid actui essentiale, vel quid accidentale, & superadditum, intrinsecum, aut extrinsecum, quidquid dicatur est falsum: ergo & id ex quo sequitur: probatur minor, nam si est aliquid essentiale; ergo hic actus non potuit à sola potentia procedere, quia illi non respondent omnes formalitates, deest enim illa specialis habitui respondens, & praeterea si est essentialis, nec ab illo distincta; ergo producens illum modum entitatem actus producit, vt producens animal producit etiam tale animal, quia sunt indistincta: erit ergo aliquid accidentale, & quidem si extrinsecum tantum sit, non poterit esse terminus actionis ab habitu progredientis, vt est extra dubium, quia ad denominationem extrinsecam solum, actio physica non terminatur.

²⁴ Intrinsecum autem nequit esse primo, quia esset posterius natura ipso actu, vt posterius est accidens subiecto, & sic formalis effectio actus non esset facilis: secundo, quia quocumque reali modo praeciso intelligitur actus facile elicitus ex eo solum quod iuvamine habitus, qui facilitas est fiat, nam si cum habitu sit: ergo cum facilitate sit, ac proinde facile sit actus; haec enim omnia synonyma sunt: tertio esse actum difficile effectum non est modus illius realis: cum difficultas ab habitu non proveniat: ergo nec facilitas: quarto habitus specificatur per actus; ergo ad illos essentialiter ordinantur, & non tantum ad modum facilitatis: quinto nam modus ille necessario est vi-

talis, vt enim ait P. Vasquez, modus ille in eo stat, quod fiat actus cum delectabilitate, ob maiorem convenientiam cum potentia, delectabilitas vitale est vt constat: ergo nequit habitui correspondere, qui vitalis non est: sexto ipse P. concedit habitus in intellectu in quo nequit dici reperiri delectabilitatem, quia affectio propria est tantum appetitus: septimo ipse fatetur modum dictum non explicari sufficienter, in nostro autem clare percipitur, quid sit actum facile fieri, scilicet terminare actionem à potentia sine difficultate, operante ex eo quod iuvetur ab habitu.

Sexta conclusio: esse actum facilem non est denominatio extrinseca in illo; hoc probo, nam actus dicit actionem, & terminum, in neutro autem facilitas est denominatio extrinseca, & primo constat in actione, nam esse actionem facilem est oriri à duobus principijs, quorum vnum aliud adiuvet, hoc autem est essentialissimum actioni, & respectui transcendentali, taliter enim haec actio à duobus principijs oritur, vt haec eadem nequeat ab vno tantum provenire; est ergo ratio facilitatis in illa quid essentialis, nec oportet in hoc immorari. Si autem de termino loquamur in illo esse facilem non est denominatio extrinseca, nam facilis dicitur à modo effectiois, sed effectio est aliquid intrinsecum termino, dependentia enim maxime intrinseca rebus est: ergo, & facilitas.

Dices non dixisse supra actum posse fieri à sola potentia secundum omnem intensionem, modo autem dicere hanc actionem non posse à sola potentia dependere.

Nulla est contradictio in hoc, nam intensio ²⁶ cadit supra terminum, quia est qualitas, & non supra actionem: dico ergo hunc eundem terminum posse secundum omnem intensionem à sola potentia produci, hunc autem actum propterea includit actionem minime, quia actio dependet essentialiter à principio à quo oritur, cumque principium sit habitus, & potentia simul actio ab illo prodiens nequit solum ab illis seorsum provenire, ita vt à sola potentia proveniat, & sic ad istum actum necessarius est prorsus habitus, non autem ad hunc terminum, quia ad eundem diversae terminari possunt actiones, cum à seipso per ordinem ad obiectum, & non ab actione specificetur, aut individuetur, vt diximus alibi eundem effectum posse diuise à pluribus causis produci, nec enim ab hac actione necessario dependet, vt patet in conseruatione, calor enim ab igne productus, ab alio vel à sole conseruatur.

Explicandum autem superest, quid in effectu ²⁷ habitui respondeat, quod non erit difficile: Nam primo in actu inuenimus actionem, ita ab illo dependere, vt nequeat ab alio dependere, & ita specialis ille respectus illi correspondet secundo in ipso termino, quamvis nihil sit, quod non possit respondere potentiae: tamen hic, & nunc aliquid est quod non possit illi respondere, tanta scilicet perfectio, quae non statet cum conatu, quem mox habet potentia, cum enim habitu operamur minus conamur, quam cum sine illo, habitui enim fere nihil aduerentes, nec multas rationes inquirentes movemur. Vnde in subitis ex habitu dicimur operari secundum Aristotelem, & experientiam, pone enim hominem castitati assuetum, qui tentatione aliqua repentina pulsatur,

tur, absque eo quod multa indigeat motivorum inquisitione resistit; Pone alium non ita assuetum coelibatui, pulsetur repente, & cadet, aut turbabitur, & multa indigeat motivorum inquisitione ne cadat, quod non aliunde provenit, nisi quia cum habitu parum conatus requiritur, cum quo parvo conatu non stare actus perfectio, quæ modo cernitur, & ita illi responderet vel utrique ut adæquato principio, quorum neutrum sufficeret. Quam doctrinam videtur mihi colligere ex Suariorum, & Fonseca, Suarez sic habet; unde quando potentia operatur cum habitu, licet ipsa alioqui habeat sufficientem virtutem totalem ad efficiendum talem actum, tamen tunc non virtutem illa adæquate ut sic dicam, quia non sola ipsa totaliter insuit in actum, sed coadiuvante habitu, Fonseca autem sic ait ex quo sequitur habitum ea ratione iuvare potentiam, quia supplet eius conatum, cum illa ex habitu operatur, quod idem experientia constat, manifeste enim experimur nos, cum habitum comparavimus, minus conari ad actus producendos, quam ante habitum acquisitum. Quare cum omnis conatus sit effectivus, perspicuum est omnem habitum de quo est questio esse effectivum, hæc ille: ex quibus sumi efficax ratio pro superioribus conclusionibus potest, nam conatus potentia cum habitu est minor, quam ante illum, & actus quoad substantiam est idem, ergo id quod eius conatum supplet debet esse effectivum; patet consequentia, quia nihil supplere concursum alterius, nisi concurrere potest.

Dices habitum sine efficientia conferri ad facilitatem posse; ergo ea non est ipsi tribuenda; probatur antecedens, nam volens dare eleemosinam ob motivum misericordiae, si accedat aliud motivum iustitiae facilius, & hilarius confert, & tamen motiva non influunt: ergo iam absque efficientia facile reddi potest potentia.

Respondeo voluntatem moveri ab obiecto finaliter, & non efficienter, & ita non esse mirum si multiplicatis motivis facilius operetur; habitus autem dari ad supplendum conatum, & sic debet efficienter concurrere.

Dices cum una causa adæquata nequit alia concurrere: ergo cum potentia, quæ est causa adæquata actuum non potest concurrere habitus.

Respondeo primo cum una causa adæquata, & adæquate concurrente non posse aliam concurrere. Deinde dico cum causa adæquata posse concurrere aliam ad melius esse, non autem ex necessitate.

Ultimo dices, habitus producit ab actu: ergo non est productivus actus. In causis enim non stat reciprocæ productio. Respondeo negando consequentiam, & est exemplum in specie impressa, quæ ab actu intellectus producit, & alium similem producere potest, actus enim quo naturam universalem cognoscimus secundum communem opinionem speciem sui relinquit ad actus similes; & ut demus, non esse quid simile dico quemadmodum speciale est aliquibus potentibus vsu sibi facilitatem conciscere; ita specialem esse modum illum habere productionis, & sic ex alijs non bene arguitur.

QUESTIO VI.

De habitus intensione, & extensione, &c.

PRIMA conclusio: habitus potentia cognoscitiva sunt capaces intensiois: hæc conclusio est contra Patrem Salas, eam tueretur Divus Thomas 1. 2. q. 52. art. 2. in corpore; & ex nostris Suarez, sect. 10. in principio, Valquez disp. 80. cap. 1. probatur primo, nam fides est habitus potentia cognoscitiva; & tamen augeri potest secundum illud Lucæ 17. adauge nobis fidem, & illud Ecclesiæ da nobis fidei, spei, & caritatis augmentum, quas auctoritates, & alias adducit ipse Salas ad probandum habitus esse intensibiles.

Secundo actus potentiarum cognoscitivarum sunt capaces intensiois; ergo & habitus ad ipsos inclinantes: probatur antecedens in actibus visionis, nam si continue ad obiectum aliquod visibile accedamus melius, & melius illud videmus. Nec potest dici ibi innumeras poni visiones, nos enim experimus visionem nostram perfici, & non deperdi tot actus, qui eo ipso quod tot sint non possunt non notabiliter cognosci. Item actus illi versantur circa idem obiectum sub eadem ratione motiva, & illud absolute dicitur melius, & melius videri; si hoc non est intensio non assequor quid illa esse possit.

Tertio visionem beatificam habent Sanctiores, intensiores alij alijs, & in quolibet potest divinitus magis ac magis intendi. Nec dici potest aliam esse perfectiorem alia, non tamen intensiorem, quia obiectum omnes sub eadem ratione formali vident, & si intellectus sint eiusdem essentie, non est unde sumi distinctio possit.

Quarto sequeretur actus, & habitus voluntatis non esse capaces intensiois; patet sequela, quia voluntas intellectum sequitur, & circa ea tantum versatur, quæ ipse proponit, & secundum diversitatem cognitionum affectus variantur. Tunc sic cognitio repræsentat melius, & melius per actus essentialiter distinctos, in quibus novo modo apparet obiectum; ergo voluntas melius, & melius in obiectum tendens eam subit varietatem.

Dices eadem cognitione existente posse voluntatem melius, & melius amare, quia est libera nec determinatur à cognitione.

Sed contra, quia illud melius, & melius est per distinctos actus, & non per unius intensiois; ergo falsa est solutio; probatur antecedens, quia actus remissus non conformatur obiecto secundum omnem modum quo repræsentatur, intensus autem illi magis conformatur; sed hoc est sufficiens ad variandos actus; ergo variantur; probatur minor, nam actus intellectus per hoc solum variantur, licet enim obiectum, & ratio movendi sint eadem, nihilominus distincti dicuntur, quia unus perfectius, alius non ita.

Obijcies primo, nequit aliquid melius cognosci nisi ratio aliqua de novo appareat in obiecto; ergo iam non est intensio, sed extensio ut videtur constare; probatur antecedens exemplo visionis, cum enim ad obiectum visibile accedimus distinctius res apparent, & parvum distantius videmus, quæ antea non apparebat.

Respondeo distinguendo antecedens, nisi ratio aliqua

aliqua appareat de novo quoadmodum aliquem melioris expressiōis concedo, quoad aliquid, quod antea non cognosceretur vel modo non ita claro nego: in acervi tritici constabit exemplo, qui cum minus cernitur totum videtur, & quilibet eius pars, totum enim non est aliud à partibus, & ita si totum videtur necessarium est partes videri: sed ita videbantur ut distinctio partium non ita apparet, ut illam possemus discernere, & sic tantum apparet sub novo modo pertinente ad eandem rationem movendi, & ideo ad intensiōem, quia non quilibet modus in objecto extensiōem facit, & sic nec in actu in ipsum tendente, ut faceret nova pars addita per quam proprie extenditur.

9 Secundo, si vnus actus intellectus esset melior, & melior per intensiōem, sequeretur etiam esse clariorem, & certiorē, quod non videtur dicendum, nam claritas seu euidētia tantum provenit ex eo, quod intellectus nequeat actum suspendere circa objectum sic propositum; certitudo autem est adhesio, quæ negationem dicit ortam ex efficacia rationum, in negatione autem non est magis, & minus. Hæc P. Salas nimie voluntarie, in claritate enim est magis, & minus, ut vidimus in argumento antecedenti, & in ipsa naturali claritate. Stella enim, ut ait Paulus, differt ab stella in claritate, certitudo etiam magis, & minus habet, nec consistit in negatione, licet illam importet: sed in adhesionē animi, seu propensione ad objectum immobiliter, non sunt tamen duæ intensiōes in actu ratione claritatis, & certitudinis: sed vna, quia rationes illæ sunt actui essentielles, & ita non habent aliam ab ipso graduationem.

10 Secunda conclusio: habitus per actus remissiores non augentur, ita Divus Thomas, quæst. 52. circa articulum tertium, quem omnes sui sequuntur, & ex nostris Suarez, sect. 10. num. 10. Hurtado §. 3. & alij quam plures à Salas adducti. Probatur, nam ista intensio, vel fieret ab actu dispositivē, vel efficienter, neutro autem pacto fieri potest; ergo. Probo maiorem quoad primam partem, nam dispositio debet esse proportionata ei ad quod disponit; hic autem hoc non contingit, nam dispositio est imperfecta, & actus perfectior. Item dispositio hæc est ad agendum perfecte: ergo est perfecta; probo consequentiam, nam imperfectum imperfecte disponit, imperfecte autem dispositum imperfecte tantum operari potest, alioquin involvetur in terminis repugnantia, quod scilicet dispositio sit imperfecta, & quod id quod disponitur sit perfecte dispositum, quod stare nequit; nam qualis est forma talis est effectus formalis, sicut: ergo esset implicatorium quod albedo esset imperfecta, & quod perfecte disponeret, sic, & quod facilitas sit imperfecta, & quod potentia respectu illius sit perfecte facilis.

11 Quoad secundam vero partem sic ostenditur. Nam habitus relinquitur ab actu, ut virtus eius: ergo nequit virtus esse in ratione virtutis perfectior illo; patet consequentia, quia nihil potest communicare alicui perfectiorem rationem agendi quam ipsum habeat in serie actionum illius ordinis in qua sunt ambo, v. g. calor imperfectus nequit communicare alteri à se producto maiorem virtutem agendi quam in se habeat, sic enim in virtute producta esset maior perfectio in ratione virtutis, quam in principio virtutis tamen. P. Alph. de Penafiel Theol. Schol. Tom. I.

lis. Nec mihi obiecias agentia ratione densitatis intensius operari, id enim est iam reiectum.

12 Dices habitum esse imperfectiorem actu, & ita à gradibus inferioribus huius posse gradus illius perfectiores produci, ut imperfecta lux, perfectum calorem producit.

13 Sed contra; nam habitus in gradibus actibus correspondet, ut dixi: ergo quidquid sit de illis in nostro casu non habet locum, nam actu intenso non producit habitus tantæ intensiōis ut est clara experientia quam fatetur P. Salas, vno enim actu valde intenso non acquirimus omnimodam facilitatem ad actus sequentes, ut in Religiosis patet, quia ad relinquendum mundum actibus valde intensis vtuntur, non solum supernaturalibus: sed etiam naturalibus, & tamen in propositis, & votis exequendis maximam in plurimum difficultatem patiuntur, & sic in alijs; si ergo actus intensus ita perfectus non producit gradus æquales in habitu, quomodo poterit actus remissus gradus perfectiores producere; stet ergo illos inter se proportionari, nec inferiores, eo quod sint ordinis superioris posse gradus habituum producere.

14 Deinde sequeretur actu quantumvis remisso acquiri habitum perfectissimum, quod est contra manifestas experientias, ex eo enim quod aliquis actum virtutis aliquando frigide exercuerit, aut repide non remanet virtuosus, & similiter in actu vitij, ex eo enim quod quis verbum aliquod effutiverit, non meretur nomen loquacis; probo autem sequelam, nam quilibet gradus actus dicitur habitui perfectior, & est actus: ergo producere poterit omnes habitus gradus qui sunt imperfectiores, cum præterea nihil obstat ex parte subiecti, quod est ex se ad omnes gradus sufficienter esse dispositum, præsertim cum ab auctoribus oppositis gradus similes ponantur, nec vnus dicatur dispositio ad alium.

15 Dicitur non produci secundum omnem perfectionem habitum primo actu remisso; quia requiritur eius replicatio, talis enim naturæ actus sunt, ut sola replicatione possint habitum augere; sed hæc explicatio meram continet verborum replicationem, huic enim actui repetitio præcessisse alium, nihil tribuit præter virtutem ab alio relictam, ut ipse melius fieret; sed hæc virtus nequit esse maior in ratione agendi, quam virtus ipsius actus; ergo etiam si infinitus repetatur actus, non poterit habitus perfectio crescere. Præterea agens ratione dispositionis nequit operari supra suam virtutem; ergo quod secundus actus perfectius dispositum inveniat potentiam quam primus, non poterit esse ratio ut ille supra suam virtutem operetur; esset autem supra virtutem, nam actus non semper habitum perfectum producit, quamvis ipse sit perfectissimus: quomodo ergo cum imperfectus sit poterit habitum producere perfectiorem.

16 At P. Salas potentiam perfectius operari cum habitu quam sine illo, & ita habitu remisso posse producere actum perfectiorem, qui consequenter habitum augebit. Sed hanc doctrinam supralate impugnativimus q. 5. sec. 2. conclus. 4.

17 Nec virget, quod de luce afferri solet producente calorem se intensiorem, nam id est dubium alioquin aliqui lucis gradus calorem producerent intensum, quod esse falsum constat, cum neque calorem aliquem plures gradus lucis producant, ut patet in luce lunæ, ac stellarum, per quam

Q o o o

quam nullus producit calor, requiritur ergo magna intensio lucis, ut similem possit intensiorem caloris producere. Deinde dico in habitu, & actu rationem esse dissimilem; nam habitus est quasi impulsus ab actu relictus ad similem actum; unde debet illi in gradibus proportionari, pro modo enim operandi facilitas in nobis relinquatur.

18 Si virgeas nos experiri repetitione actuum augeri in nobis facilitatem, licet illi sint intentionis perparæ. Nego experientiam, quæ non est nisi somnium, cum potius experiamur remissos homines vix aliquando ad gradum aliquem virtutis emergere; virtus enim dicitur à visse violentia, quam sibi quisque inferat necesse est ad perfectionem eius ascensurus; nec video quod obijci ulterius possit.

19 Tertia conclusio: per actus æquales non augeri habitus; probatur primo, nam simile ut tale applicatum ad agendum passo eiusdem rationis, eundem habere effectum tantum potest, ac aliud, sic se habent plures actus in nostro casu; ergo eundem habere effectum tantum possunt; sed prior producit habitum intensum ut duo; ergo posterior non est ulterius activus.

20 Dices secundum actum invenire subiectum melius dispositum, invenit enim illud affectum habitus, ratione cuius est propensum ad unam partem, & ita in ordine ad illam propensionem amplius perficitur.

21 Sed contra, nam potentia nude sumpta ante omnem habitus perfectionem est sufficientissime disposita ad omnem perfectionem habitus, & tamen non producit tota perfectio actui correspondens: ergo id non ex dispositione, sed ex inefficacia agentis provenit; probo maiorem, destruendo rationem inæqualis dispositionis, quam adducit P. Suarez num. 13, ait enim ipsam indifferentiam potentia, & obiecta satis resistere ut non possit primus actus statim à principio efficere secundum omnem suam latitudinem, sicut lapis est capax impetus ut feratur sursum, tamen, quia per inclinationem ad centrum resistit, ideo agens non imprimit impetum quantum potest. Sed contra, quia habitus sunt iuxta conditionem ipsius naturæ secundum se sumptæ; ergo natura, vel potentia per indifferentiam non resistit; patet antecedens, nam habitus comparantur actibus, qui sunt potentia maxime conaturales, & iuxta conditionem ipsius; ergo, & ipsi actuum effectus conaturales sunt; conaturali enim causa est conaturalis effectus, nec video quomodo possit hoc negari; consequentia autem præcipua videtur evidens, nam si ipsi naturæ indifferenti conaturalis est habitus, iam ratione indifferentiæ resistere nequit, si enim resisteret habitus non esset conformis naturæ.

22 Id autem quod additur inclinationem quam habet potentia ad alios actus, & obiecta esse sufficientem rationem resistentiæ stare nequit, nam vel potentia est cum omnimoda indifferentia, ita ut nullum habeat habitum, & sic non habet maiorem inclinationem ad unum actum, & obiectum, quam ad aliud, vel est cum habitu contrario, quem aliquantulum refringit actus primus, & ita secundus invenit melius dispositam potentiam, quia plus habet dispositionis conformis, & minus de opposita. Tunc arguo;

eandem dispositionem habet primus in eo casu ac secundus; ergo hic non poterit perfectius operari; probatur antecedens, nam habitus essentialiter componitur ex gradibus qui naturalem habent subordinationem, & ita unus est prius natura alio; producat ergo actus perfectionem, quam opposita sententia adstruit, tunc est sufficiens dispositio ad ulteriorem perfectionem, quæ secundo actui tribuitur; ergo sicut secundus illam producere potest, sic, & primus, patet consequentia, quia primus est eiusdem perfectionis ac secundus, & habet dispositionem sufficientem à se productam; ergo poterit efficere quod secundo tribuitur. Quod declaro, nam si ubi primo ponitur perfectio illa habitus poneretur secundus actus, tunc absque dubio intenderet illum, quia præcedit prius natura dispositio subiecti, parum enim refert, quod prius tempore aut natura sit; ergo primus illam producere poterit, cum prius natura subiectum disponat per gradus dictos.

Nec valet id quod de gravitate, & impetu affertur, nam impetus est contra naturam, & ita non est mirum, quod eius impressio per gravitatem retardetur, ut retardatur calidum dum agit circa frigidum, quia vnum est conaturale, aliud violentum, & contra naturam, in nostro autem casu habitus sunt conaturales potentia, & ipsa ut illos recipiat per se est sufficienter disposita, sicque ratione aliquorum graduum nequit crescere perfectio in modo agendi, nisi aliunde cōnectur potentia supra id ad quod ratione habitus propendet, & hoc tandem fatetur P. Suarez in fine illius numeri 13. de habitibus scientia, nec video quæ sit maior ratio in hijs, quam in alijs.

Obijces primo luminosum spatio alicui applicatum non producere tantam luminis perfectionem, ac aliud lumen productum inveniens; ergo similiter erit in actu inveniente in potentia aliquam per habitum prius productum inclinationem. Respondeo superveniens luminosum simul cum priore producere maiorem luminis perfectionem, quia pluralitas agentium simul concurrentium iuvat ut alibi diximus, & ita asserimus modo, si duo actus simul darentur perfectionem maiorem habitus producturos, quam unus produceret, qui non est casus nostræ difficultatis.

Secundo ex dispositionibus crescit ratio agendi, ut multoties est dictum: ergo secundus actus ratione dispositionis, habitus scilicet, quem invenit poterit agere perfectius. Respondeo antecedens esse verum, cum agens, & passum requirunt dispositiones, quod hic non contingit, ut enim supra probavimus sola potentia indifferentia est ratio sufficiens, & dispositio ad habitus productionem.

SECTIO I.

In qua de extensione habitus agitur.

Extendi aliquid dicitur etiam novam accipit partem diverso respondentem spatio, ut cum homo per nutritionem accrescit, partibus molis comparatis, hinc sumpta analogia dicitur extendi habitum non quidem cum in ordine ad idem obiectum melius, ac melius attingendum perficitur: sed cum ad diversa terminatur obiecta, ut

Quæst. VI. De habitus intensiōe, &c. 659

cum temperatus in ordine ad cibos acquirit facilitatem in ordine ad abstinendum à potibus, & cum definire sciens ad demonstrandum Logicæ beneficio gradum facit.

27 De hac extensione habituum latissime agitur à nobis in metaphysica disp. 1. qn. ultima. *Vtrum metaphysica sit una simplex qualitas vel composita*, videantur ibi dicta, nihilominus aliqua alia addemus hic, quæ ibi deficiunt.

28 Quarta conclusio extensio non fit per solâ additionem modi, sic P. Suarez, Molina, Fonseca, Toletus, Hurtado, & alij: probatur primo ratione; nam istud quod additur faciliem reddit potentiam in ordine ad actum, ad quem antea prompta, & facilis non erat: ergo modus habitus esse nequit, sed necessario est habitus; antecedens est clarissimum, qui enim per habitum Logicæ erat facilis ad definiendum non propterea existeret facilis ad demonstrandum, ubi vero demonstrationes cepit exercere promptiorem se, & expeditiorem invenit; datur ergo per hos actus facilitas, vel si facilitas non datur dicendum est antea fuisse totaliter faciliem, quod est absurdissimum, & contra claram lucem experientie, quis enim actibus tantum definiendis facilitatem omnimodam ad demonstrandum est adeptus: vel per cognitionem exercitum elementorum, proflus expeditus ad cognitionem celorum evasit, aut Primi Motoris, quæ omnia ad vnam scientiam naturalem spectant. Et similiter in habitibus appetitus à cibo se temperans non ideo erga vinum est temperatus, cum videamus plures vinosos homines in maxima obfomnorum abstinentia, & alios circa nummos nihil perpetrantes iniustum, qui tamen alienis vxoribus per summam inhiant iniustitiam.

29 Probo autem consequentiam principalis discursus, nam modus non reddit faciliem potentiam, si ergo faciliem illam invenimus extensione habitus illa facilitas modus non est; patet antecedens; nam si facilitas esse modus potest: ergo habitus tantum erit modus, constat illatio; ex facilitate enim habitum colligimus, ad facilitatem potentie modus sufficit; ergo non est vnde illum non esse modum colligamus.

30 Dices habitus non esse modos, bene tamen id quod exercitio eorum acquiritur, quia habitus est principium potentie quod nequit modo convenire.

31 Sed contra, ideo habitus modus non est, quia potentiam complet in ordine ad operationem facile exercendam: sed in ordine ad secundum actum non est potentia completa in ratione operativæ facilius; ergo aliquid addi debet quod sit res, & non modus; probo minorem, id complet in ratione facilitandi, quod est facilitas, modus additus non est facilitas; ergo non complet in ratione facilitandi; maior est clara, nam quod non est facilitas nequit formaliter reddere faciliem potentiam; cum denominatio facilis à facilitate sumi debeat, ut albi ab albedine, minorem autem ostendo, nam facilitas est habitus, quod additur non est habitus secundum adversarios; ergo nequit esse facilitas. Præterea ideo habitus dicitur non esse modus, quia complet principium in ratione operandi: sed ut compleatur sufficit modus; ergo ut compleatur non est necessarium poni habitum; patet minor, quia ad secundum actum non requiritur minor facilitas, quam ad primum vel quam ad eos, qui circa diversum ob-

R. P. Ideph. de Peñafiel, Theol. Schol. Tom. I.

iectum materiale versantur, ad illum completur per modum; ergo, & ad istos, & sic habitus tantum erit modus.

Deinde ad actum alterius obiecti perinde se 32 habet potentia, ac si non haberet facilitatem ad obiectum aliud; ergo sicut ad vnum datur res, & non modus, sic & ad alium, probatur antecedens in exemplo temperantiae circa cibum, & vinum: sicut ergo temperantia à cibo cepit, sic etiam potuit incipere à potu; si à potu inciperet produceretur habitus, & non modus: ergo tunc etsi non incipiat habitus producit; patet consequentia, quia esse actum primum vel secundum non variat modum essentialis productionis.

Dices ex eo quod sit secundus invenire subie- 33 ctum præoccupatum eo effectu, quem ipse erat producturus, & ita non invenire quod efficiat.

Sed contra, quia inclinatio, & propensio ad 34 potum non est inclinatio ad cibum; neque è contra inclinatio ad temperantiam cibi, non est inclinatio ad temperantiam potus: ergo quod efficit vnam inclinationem non impeditur ex eo, quod alia sit in subiecto; patet antecedens, nam si inclinatio ad cibum, est inclinatio ad vinum, qui illum nunquam est odoratus, imo qui fastidit, dicitur absolute vinosus, & qui est iniustus in materia pecunie, etiam si neque de proximi vxore cogitaverit dicitur adulter ore pleno, hoc est manifeste absurdum: ergo & id ex quo sequitur; probo maiorem; nam ille habet totam substantiam vitij, & non deficit illi nisi aliquis modus, qui non tollit absolutam denominationem; ex eo enim quod quantitas non habeat unionem ad subiectum, ut in Eucharistia, non definit esse absolute quantitas, quia unionis defectus est tantum defectus modi; minor autem patet, nam appellare ebriosum, & adulterum eum, qui nulum actum ebrietatis, aut adulterij exercuit contra omnem est rationem, actibus enim denominationes comparantur.

Secundo argumentor specialiter contra P. Vas- 35 quez dicentem intensiōem fieri per additionem novæ entitatis gradualis. Tunc sic: magis necessaria est additio entitatis ad extensionem, quam ad intensiōem: ergo vel utraque, vel nulla dicenda est fieri per entitativam additionem; probo antecedens, nam per intensiōem habitus versatur circa idem obiectum, & sub eadem ratione movendi, & tantum habet melius, & melius illud attingere: in extensione autem est diversum obiectum, ut in vino, & cibo, in demonstratione, & definitione, in nummis, & in aliena vxore; & præterea in diversis obiectis est diversa difficultas vincenda, qualis non est in vno melius, & melius attingendo; vnde cum circa obiectum aliquod facile, & perfecte operemur, circa aliud eandem virtutem concernens difficulter afficimur, quantam enim ciborum parvissimi difficultatem patiuntur in temperando à vino, & alij è contra, quibus fastidio est vinum, quam laborant in temperando à cibis delicatioribus pulchris aspectu, & ad vescendum suavis.

Dicitur rationem esse diversam, nam materia- 36 lia obiecta quasi per accidens se habent ad rationem formalem virtutis, quæ eadem est essentialiter in omnibus non sic in intensiōe, quia perfectio obiecti formaliter sumpti melius, & melius attingitur: sed contra, & quia doctrina est generalis contra omnes.

Tertio sic argumentor, ratio formalis in diver- 37

Oooo 2 lis

sis obiectis non est eadem essentialiter; ergo pro diversis obiectis diversi habitus acquiruntur; probatur antecedens, ex his quæ diximus disputatione de potentiis, probantes ab eadem diversos actus oriri, quia in diversis obiectis diversa est essentialiter ratio movendi, idem autem in præfenti contingit: probatur antecedens, quia ab eadem potentia diversi actus oriuntur, quia in diversis obiectis diversa est essentialiter ratio movendi, idem autem in præfenti contingit saltem partialiter, & ulterius in diversis obiectis diversa est essentialiter veritas, & bonitas: ergo distinctæ sunt essentialiter rationes movendi; patet antecedens, nam illæ sunt passionis rerum, & sicut res distinctæ sunt, sic & earum passionis. Præterea in diversis obiectis est diversa difficultas; ergo quia diversa ratio movendi, si enim esset eadem pariter moveret. Tandem habitus versatur circa rationem formalem ut coniungitur diversis materiis, sed ut sic est diversa ratio: ergo ex illa non poterit unitas habitus resultare; maior est clara nam temperantia non versatur in abstracto circa delectabilitatem, sed circa delectabilia, in quibus includitur, sicut enim voluptuosi habitus circa delectabilia versantur, ita temperantia ut eos moderetur; minor autem clara est, nam delectabilitas quæ est in vino, non est in cibo, sed à primo distincta.

38 Quinta conclusio: per primum actum habitus comparatur; sic Salas, Suarez, Vasquez, Azor. lib. 3. cap. 21. quest. 2. & 3. probatur; nam implicat per plures actus acquiri, quin per singulos aliquid acquiratur: sed illud est habitus: ergo per quemlibet actum producit habitus. Probo maiorem, nam secundus actus habitum producit; vel ergo solus ille, & sic iam unico habitus producit; sed primus, & secundus sunt eiusdem rationis per vos: ergo sicut per secundum producit habitus, etiam primus illum producere potuit.

39 Dices primum actum habuisse se ad instar dispositionis, qua potentia manet expeditio ad secundum, & sic per secundum actum posse produci habitum, & non per primum.

40 Mera sunt verba, & responsio est similis illi, quæ de sigillatione materiæ adhibetur per dispositiones præcedentes, neque existentes vilo modo in instanti generationis. Impugnatio est facilis, nam quod non est, nihil est: quod autem est nihil, nihil etiam iuvare potest, nisi quatenus est negatio alicuius, quod obstat posset, & in præfenti non habet locum, quia potentia nullum habet impedimentum ut supponimus, & constat ex ijs, quæ supra diximus.

41 Præterea virgo; nam potentia per primum actum dicitur manere disposita, & expeditior ad secundum; ergo in secundo cliciendo est facilis, ratione talis expeditionis, sed nihil potest esse facile, nisi ratione facilitatis: ergo talis expeditio, & dispositio per quam redditur potentia facilis est facilitas: sed facilitas est habitus; ergo ante actum secundum habet iam habitum ex vi actus primi: maior est adversariorum, & minor claræ habitum enim non aliunde colligimus, quam ex promptitudine, & facilitate in operando; si ergo nos faciles experimur habitum habere, est clarum, vel corrumpit habitum ponendorum fundamentum.

42 Dices habitum importare rationem immobiliter inhaerentem, quam non videmus convenire tali

dispositioni, & expeditioni, & ideo illam esse ab habitu distinctam.

Sed contra primo, nam rogo cur dari non possit habitus facile mobilis, esse enim facile mobilem faciet quidem distinctionem specificam, sed non ideo à ratione habitus illum excludet, sed potius faciet habitum specie distinctum, ut in pluribus alijs contingit: secundo esse facile mobilem non facit distinctionem omnimodam ut patet in calore, qui in aqua est facile, & difficile in igne mobilis; & in luce, quæ in aëre est facile corruptibilis, non ita in sole, videmus autem tractantes de visu, lucem aëris, & solis esse eiusdem speciei.

Tertio omnis forma, secundum gradus inferioris res habet posse facile à subiecto removeri, gradus enim inferiores eo ipso, quod tales sint minus contrariis resistunt; ergo in habitu idem contingere potest.

Deinde virgo, nam illæ qualitates vel sunt eiusdem speciei, vel diversæ: si eiusdem, iam una perficitur per aliam, & sic una non abibit alia veniente; si diversæ, conferent potentia perfectiones diversi ordinis, & sic simul esse poterunt. Quod si dicatur; iam illa, quæ dicitur dispositio non amovetur facile, & quidem diversitas in ijs, quæ sunt ad aliud ex modo tendendi in illud est retinenda; non apparet autem adæquata distinctio inter duas illas qualitates in modo tendendi, nam utraque est in ordine ad idem obiectum, & facilem potentiam reddit in ordine ad actum eiusdem speciei; non est ergo unde distinctio adæquata sumatur. Neque illud, quod de facilitate, & mobilitate dicitur, obstat; nam motus velox, & tardus eiusdem sunt speciei, & tamen velox parum durat, & multum lentus. Inadæquatam autem distinctionem dari non repugnat, quia gradus inferiores à superioribus inadæquata specifica ratione distinguuntur.

Obijcies primo Aristotelem 1. Ethic. cap. 7. & 2. 4. cap. 1. ubi ait, una hirundo non facit ver; Respondeo intelligi de actu valde remisso, per quem diximus habitum non generari; secundo intelligi de fortitudine, & temperantia, quoad statum perfectum in quo tantum nomen virtutis meretur, ut pueros non vocamus homines, licet eiusdem sint naturæ cum viris, & similiter respondeo ad sancti Thomæ auctoritatem 2. 2. q. 24. art. 6. ad 2. ubi ait in generatione virtutis acquiritur, non quemlibet actum complere generationem virtutis, quod intelligendum est de statu, & ad exemplum quod adducit de gurtis paulatim excavantibus lapidem, dico singulas aliquid efficere, quo alia fortius operantur; est autem pro nobis Aristoteles, cap. de qualitate, dicens dispositiones diuturnitate fieri habitum.

Secundo, primus actus potest invenire in subiecto contrarium habitum, ergo saltem tunc non producit habitum, iam enim darentur simul duo habitus contrarij. Respondeo dato antecedenti, negando consequentiam; & ad id quod additur futura duo contraria simul, nego id ita contingere, nam qualitates non pugnant secundum omnes gradus, & ita duo gradus virtutis possunt esse cum sex vitij. Adde inter habitus non esse exactam contrarietatem, quia eorum actus non versantur circa idem obiectum sub eadem ratione, ut de assensu, & dissensu diximus, & si circa diversa versantur, illa non habent exactam contrarietatem ut bonum, & malum, neque enim bonitas

Quæst. VI. De habitus intentione, &c. 661

est qualitas, neque malitia aliquid positivum.

Sexta conclusio: per primum actum non acquiritur tota habitus substantia, seu entitas. Hoc probatur primo, quia intensio non per maiorem radiationem, sed per graduum fit additionem, & ita perfectio vñ acquisita non dicit tantum modus, sed etiam veram habitus entitatem: secundo, quia si acquiritur tota habitus substantia; ergo acquiritur tota facilitas, seu substantia, & entitas facilitatis: hoc autem dici nequit, nam sequuntur contradicentia, quod scilicet potentia per primum actum habeat, & non habeat totam facilitatem, habet quidem, quia habet totam substantiam habitus, qui nihil aliud est quam facilitas, non habet quia potentia donec plures actus exerceat facilitatem in operando non experitur; ergo illam non habet.

Septima conclusio: non solum in actibus evidentibus intellectus, sed etiam in obscuris, & in actibus appetitus acquiri vñio actu habitus potest, qui habeat statum habitus immobilitatem scilicet.

Probatum primo de actibus intellectus, nam evidentia omnino convincit intellectum, illumque ad assentiendum, vel dissentendum prorsus necessitat, ut visibile debite approximatum vñum necessitat ad visionis productionem. Item posita evidentia tollitur omnis difficultas intellectui in assentiendo, vel dissentiendo; ergo quantum est de se habitus immobiliter adheret, in quo dicitur ratio eius consistere, quidquid Vasquez, & Azor reclamant, quorum levia sunt fundamenta.

Secundum de actibus obscuris mihi est clarum experientia manifesta, invento enim vñio medio ad probandam aliquam opinionem, ita illi adheremus, ut difficile ab ea possumus divelli. Item actus repetiti habitum ad statum perfectum deducunt, quia gradus addunt intensivæ perfectionis; ergo si illa perfectio possit ab vñio produci actu, non est cur dicamus per illam habere non posse statum perfectionis; patet autem habere posse, quia quo perfectior est causa perfectius operatur; ergo actus intensus perfectius operabitur: sed vñicus actus habere potest magnam intensiorem; ergo magnam etiam poterit habitus communicare, licet inæqualem.

Ad hoc dici potest primo potentiam non posse sine habitu operari perfecte. Sed hoc reiecitur supra, nec est semper in eadem inhaerendum salubra: secundo habitum natura sua habere, ut per replicationem actuum generetur, & ita vñicum, quantumvis perfectum non posse habitum generare. Sed hoc est falsum ex argumento facto, nam ad operandum perfecte non requiritur habitus, & ille potest esse perfectissimus, operaturque iuxta propriam perfectionem; cur ergo non habitum in statu profecto producat. Adde id quod superius diximus actum non operari perfectius ratione dispositionum, quia potentia ratione solius indifferentiæ est sufficienter disposita.

Tertium de habitibus appetitus etiam est clarum ob rationem factam, & ob experientiam, quam vulgaris paræmia comprobatur, plus scilicet valere vñum actum intensum, quam mille remissos; & exemplo figentis clavum, ad quam fixiorem tantum confert ictus validus, quam multorum ictuum repetitio.

SECTIO II.

De efficientia actus in habitum.

Octava conclusio: actus est causa efficiens habitus: sic Salas, Suarez, Vasquez, Molina, & alij, ad hoc probandum multi multa satis inefficacia coarctant; ego autem hac tantum ductor ratione, quia certum est habitus per actus comparari, & illis positus tantum poni: ergo Actus in habitum habent aliquam causalitatem, non formalem, quia actus non sunt in habitu, neque materialem, quia illos non recipiunt, nec tantum finalem, quia habitus producuntur ex naturali confectione necessaria, & non per aliquam metaphoricam motionem, licet enim aliquis actum efficiens nihil de habitu cogitet illum produceret: sed non relinquitur alia causalitas nisi effectiva; ergo actus effective causant, & producunt habitus.

Dicitur nullam propriam causalitatem exercere actum circa habitum, sed tantum quasi materialem, quia disponit.

Sed contra, quia recedente actu conservatur habitus; ergo non est tantum dispositio; patet consequentia, quia cum aliqua dispositio requiritur ad alicuius productionem etiam ad conservationem requiritur, vel si illa desinit aliquid quod eius defectum suppleat datur, aut relinquitur; hic autem nihil tale contingit; nam actus non requiritur ad habitus conservationem ut constet, neque quidquam relinquitur præter potentiam, quæ nequit dici dispositio, ut constat, subiectum enim nunquam subit rationem dispositionis, cum illa sic ut forma convenienter se habeat in ordine ad subiectum: ergo dicendum est actus plus quam dispositive concurrere; maior est clara manifestis exemplis; nam calor requiritur ad introductionem formæ ignis, & consequenter ad illius conservationem, qui si diminuat incipit esse ignis in via corruptionis, ut anima introducat requiritur determinata quantitas, quæ si desit abibit anima, & nihil certius, quam sine dispositionibus formas conservari non posse.

Nona conclusio: actus non est ipsum fieri habitus, sed à qualitate quam essentialiter includit actus: producitur habitus per distinctam actionem. Hoc videtur evidens, nam actio, quæ terminatur ad actum, habet pro termino qualitatem vitalem, nec aliud habere potest, cum in ordine ad illam specificationem, & individuationem habeat, nec vnica queat ita diversos habere terminos: ipsa autem qualitas cum actio non sit, si est ratio producendi aliam, debet habere influendi rationem, & ita actionem diversam, præsertim cum actio in actu vitali inclusa vitalis sit ex modo progrediendi, & ex termino; habitus autem productio secundum probabilem opinionem minime sit vitalis, cum nec habitus ipse vitalis sit, ut alibi diximus, nec sit vnde rationem vitæ in productione venari possimus.

Decima conclusio: solus actus ut principalis causa ad habitum producendum concurrat, sic Suarez, & Vasquez, fundamentum huius assertionis est, quia actus est simpliciter perfectior habitu cum sit completa, & vitalis entitas, de quo inferius ex professo; si autem dicatur actus habitum imperfectior concurrere partialiter ad modum

□□□□ 3 speciei

speciei determinando potentiam sed pro certissimo habendum est, actum esse habitu perfectiorem, quia in actu invenitur congeries perfectionum, quæ non invenitur in habitu; ergo ille absolute erit perfectior; probatur antecedens enumerando prius habitus perfectiones, ille enim habet diurnitatem, rationem principij, virtutem ad plures actus, & denominare absolute hominem vitiosum, aut virtuosum, istæ autem perfectiones non præponderant perfectionibus actus, habet enim primo ut dixi nobilissimam rationem vitæ, quæ caret habitus habet esse principium effectivum illius, esse id quo meremur, aut demeremur, quod non convenit habitui. Item esse finem totalem habitus, cum habitus non sit finis actus, sed ex consequenti id habet; unde habitus nequit definiti nisi per ordinem ad actum cum actus minime per ordinem ad habitum definitur. Præterea actus est perfectio ipsius actum consequens, & quidem ab ipso relinquatur, quasi impulsus, aut pondus, virtusque ad similem actum inclinans, quæ rationes dicunt imperfectionem.

59 Nec perfectiones actus dictas una æquat maior diurnitas; nam intellectio ipsa parum durat, & nihilominus est perfectior albedine, aut nigredine multum durantibus, homo etiam est ferro perfectior, à quo tamen vincitur duratione.

60 Neque id quod additur de universalitate obstat, ex eo enim quod ad plures actus extendatur aliquid non sequitur esse absolute perfectius, aliquin causæ universales, ut sol, & astra essent homine perfectiores; imo ignis eodem, ille enim potest innumeros ignes successive producere, imo simul plures in subiectis pluribus simul applicatis, hic valde paucos habere filios. Quod tandem dicitur de absoluta denominatione. Dico habitum denominare virtuosum, & studiosum, quatenus pluribus actibus est comparatus habitus, si enim quaeratur, quare aliquis studiosus sit; ore pleno solemus respondere, quia plures virtutis actus exercere solet; unde etiam si per actus nihil produceretur ex solo exercitio virtutum hominem virtuosum vocarem; ergo actus est habitus perfectior; ergo si est causa erit causa æquiva- ca illius, ac proinde erit causa principalis omnium habituum.

61 Obijcies nobis 1. Aristotelem 9. metaphysica, cap. 5. ubi ait per actiones immanentes nihil fieri. Respondeo, nihil fieri à dextra, vel non fieri earum obiecta; cum vero 7. physicorum, cap. 3. docet ad habitum non dari per se motum, intelligitur de mutatione physica, seu sensibili, seu de mutatione, quæ primario tendit ad habitum, habitus enim quasi de consequenti producit ad positionem actus, cuius præcipua tendentia est in obiectum.

SECTIO III.

In qua variæ dubitationes circa corruptionem, & diminutionem habitus resolvuntur.

62 Prima sit an defectu subiecti aliqui habitus corrumpantur. Respondeo affirmative de his, qui in corpore resident; nam vi caloris naturalis humidum depascentis defluunt partes corporis: ergo & habitus in illis existentes. Dicunt aliqui

produci habitus similes in parte adveniente. Sed à quo? certe habitus nati sunt tantum produci actibus, nec causa datur creata supplens eorum defectum. Dicere autem illos produci à Deo esse probabile, si pars defluens, & succedens essent eiusdem perfectionis, & ideo illis essent debita eadem qualitates: sed id asserere est voluntarium, in statu enim decrementi partes productæ sunt imperfectiores utpote in via corruptionis. Dico ergo in parte adveniente non produci habitum nisi solo usu, nam cum partes defluentes sint in minima quantitate parum habitus deperit, & ita remanet secundum totam fere suam perfectionem, acquisita autem particula nova, facile in ipsa usu habitus instauratur, & ita non sentimus habituum defectum. Aliquando autem tantus potest esse partium defluxus, ut habitus penitus extinguantur, quod videmus in aliquibus infirmitatibus evenire, raro tamen, nam cerebrum cum sit valde frigidum magis resistit actioni caloris naturalis.

Secunda an habitus solo otio minuantur, Res. 63pondeo negative cum nostris, Suariorum sect. 12. m. 4. Salas disp. 6. sect. 3. Valent. disp. 6. quest. 5. Azor. lib. 3. cap. 23. Vasq. disp. 8. cap. 2. Hurtado sect. 5. §. 39. & aliis apud ipsum præsertim sancto Thoma.

Ratio est quia habitus ex se est qualitas permanens: ergo sola non operatione minime est corruptibilis; patet consequentia in aliis qualitatibus permanentibus, nec dicitur talis esse natura ut si non operetur deficiat, hoc enim gratis dicitur, habitus enim perseverat post actum, & ita manifestum est ab illo non pendere; cum ergo non pendeat necessario ab actu à quo est productus, multo minus ab actu, qui est eius effectus dependebit.

Dices sonum, impulsus, & flammam petere exiguum durationem: ergo & habitus illam potest petere. Frivola consequentia; ex illa enim sequitur, habitum, si operetur siue non operetur, parum esse durabile. Deinde in illis est diversa ratio, nam sonus dependet à motu quo deficiente statim, aut paulo post deficit. Impulsus est contra naturam, & ita à gravitate tandem superatur. Flamma dependet maxime à dispositionibus, quæ in illa sunt habiles, & aëre fortius ventilante deprimitur. Quod hic adducit P. Vasquez de specie sensibili conservata in absentia obiecti à nobis est supra reiectum.

Tertia an habitus corrumpantur defectu causa conservantis: Affirmant aliqui dicentes cum habitus cessat ab operationibus unius habitus attendere ad operationes aliorum, cumque limitata sit virtutis, non posse habitum illum cessantem conservare. Sed hunc dicendi modum imtem conservare. Sed hunc dicendi modum improbant P. Suarez num. 10. P. Vasquez num. 14. & Salas num. 13. quia anima circa habitus tantum se habet materialiter, & ita illos non conservat, quod sic probatur, si anima effectivè habitus conservaret, cum illi tot sint, non posset sine magno conatu huiusmodi incumbere conservationi. Ideo enim videmus, cum aliquot actus circa diversa elicit obiecta defatigari, & virtutem eius quodammodo exhaustiri, nec posse unius rei efficacitate tota vacare: ergo si habitibus intensissimis simul producendis attendit, conabitur taliter, ut conatus ipsam ab aliis distrahat operationibus, cuius oppositum manifeste cernimus, ex eo enim quod anima habitus habeat intensissimos

Quæst. VII. De subiecto habitus, &c. 663

simos non distrahitur ab operationibus, nec conatum eius aliquem experimur.

Sed hæc ratio est inefficax, nam anima conservat potentias, quæ secundum Doctores ad ductos ab ipsa distinguuntur. Item supra diximus intellectum agentem secundum adversarios species conservare; quæ sunt innumeræ, & tamen non experimur aliquem conatum circa dicta, nec illi actus animam ab alijs distrahant operationibus.

Ratio videtur esse, quia anima non defatigatur in ijs, quæ pertinent ad complendum ipsam in ratione principij, quia omnes illæ perfectiones vitali modo non sunt productæ, & ita minus habent de motu à se, seu de conatu; cumque anima se habeat respectu illorum ut natura, sicut se habet obiectum, quod quidem non defatigatur in omittendis speciebus, sic neque illa, & ita ad plura conservanda poterit attendere, ne recurratur ad causas universales.

Quarta an habitus corrumpantur defectu dispositionis subiecti. Breviter determino, habitus qui sunt in anima nunquam destrui in dispositione subiecti, eo scilicet quod in corpore aliquid contingat varians temperamentum. Probat, quia nullus ex solo defectu corporis scientiam, aut virtutes amittit; Quod valde efficax confirmat experientia, si enim quis gravi infirmitate, imo & infania vsum habituum amisit, cum post modum salutem recuperat et si eandem experitur facilitatem circa virtutem, & scientiam: ex quo elicitur, et si aliqui habitus quoad vsum à corpore dependant, non tamen quoad entitatem, & ratio est, quia sunt spirituales, & ex se permanentes, sequunturque naturam animæ ipsius, videantur citati Auctores.

Quinta an habitus per actus corrumpantur. Respondeo corrumpi mediate, quatenus actus habitum producit, quicquid alij dicant contentes habitum ab actu immediate corrumpi, qui non audiendi, quia actus, & habitus non contrariantur, sunt enim in diverso genere, & magis differt actus ab actu, quam ab habitu, videatur Suarez à n. 17.

Sexta an quilibet actus habitum diminuat. Respondeo negative, nam actus ita remissus esse potest, ut nullum relinquat habitum, quod supra adverti.

aliquando facillime amamus, aut fugimus, seu odio habemus, quia operamur ex habitu, quod non contingeret si sola cognitio impelleret, quæ tunc videtur obdormiscere.

Secunda conclusio: appetitus sensitivus est capax habitus, sic P. Suarez, Vazquez, Fonseca, Salas, Lescius in brevi explicatione virtutum opere de iustitia supposita.

Est sententia expressa Divi Thomæ 1. 2. q. 66. 3. art. 1. ubi ait in appetitu esse virtutes: sed virtutes sunt habitus; ergo secundum Divum Thomam in appetitu dantur habitus.

Ratio est experientia, nam replicatione actuum appetitus fit promptior ad aliqua sensibilia: nec dici potest id à sola cognitione provenire, nam hac ratione etiam à voluntate habitus essent tollendi; Nec verum est quod alij dicunt id provenire ex impedimento, aut recta dispositione organi, ratione quorum actus variantur. Nam virgebo similiter in voluntate, quæ pro varia dispositione corporis dici potest iam prompte iam ægre operari, corpus enim quod corrumpitur aggravat animam. Item appetitus rationi subijcitur, & maxime est homini conveniens, ut simul in idem utraque propendeat facultas; ut ergo rationi obediat promptius, debent aliquæ in ipso poni inclinationes.

Difficile autem est, quod P. Salas docet appetitum videlicet esse facultatem indifferentem, ita ut pro varietate circumstantiarum, vel imperij voluntatis possit circa idem obiectum, & eodem modo repræsentatum varios, & contrarios actus habere.

Difficile inquam est, & mihi videtur impossibile; nam perfecta indifferentia, & libertas nequit stare in facultate organica, alioquin ex libertate non bene rationem spiritus in anima probaremus. Et quidem ex defluxu rationis nequit phantasia dissentius competere; ergo minus libertas convenire poterit appetitui, alioquin actibus solius appetitus possemus peccare, quod implicat, cum enim appetitus non dirigatur immediate ratione, sed sensu; inde est quod contra rationem distantem quid sit bonum, quid sit malum formaliter non operetur, ideo illa ratio non habet vim ad probandum appetitum esse capacem habituum.

Sicut autem mens voluntatem dirigens habet habitus, sic, & phantasia habebit illos, cum dirigat appetitum eorum capacem.

Tertia conclusio: in membris corporis dantur habitus ad motus artificiales prompte exercendos, quia certum est muscus in manu, & qui saltat in pedibus habere facilitatem ad pulsandum instrumentum, & ad artificiose saltandum: sed facilitas est habitus; ergo dantur habitus in membris corporis, nec enim credibile est facilitatem illam esse tantum ab speciebus mentis, quæ vfu perficiuntur ut vult Hurtado, nam species non habent immediatum influxum in opus externum, illæ enim non operantur nisi media cognitione, non influere cognitionem in externa opera est doctrina constans ipsius Hurtado. Nec dici potest tantum id contingere ob impedimentum aliquod vfu ablatum, ut dici solet de virga viscosum amittente humorem; nam multi gracilibus digitis præditi huiusmodi carent promptitudine, & alij illam cum grossitie illorum assequuntur. Item vfu experimur membra aliqua ita assuesieri his motibus, ut cum minimo conatu, &

nobis

QVÆSTIO VII.

De subiecto habitus.

SECTIO I.

In qua de habitu voluntatis, & appetitus sensitivi, &c. agitur.

PRIMA conclusio: de voluntate pro certo habetur habere habitus præcipue ex dictis supra, ubi probantes dantur habitus distinctos à potentijs id maxime ostendimus in voluntate, & quidem cum illa libera sit ad ipsam flectendam multum conferunt. Hæc compuloria, nec dici potest cognitionem sufficere, nam parum attendentes

nobis fere non advertentibus artificiose moveantur; ergo datur comprincipium aliquod conatum supplens, & hoc est habitus, vel voca illum sicut libuerit, dummodo concedas qualitatem novam vsu compari.

In alijs autem facultatibus sensus non dantur habitus, quia non experimur vsu facilitatem acquiri, & quia magis excitantur per modum naturæ per obiecti præsentiam. Ratio autem diversitatis est, quia priores aut cognoscunt rationem boni, & mali ut phantasia, vel illud prosequuntur, aut fugiunt, & sic habent veluti rationem aliquam indifferentiæ, & universalitatis ad quam determinandam datur aliquid inclinandans per modum comprincipij, vsu comparati; potentia autem motiva subternitur varijs artificijs, & ita variæ in lingua, manibus, & pedibus dantur facilitates, quarum nihil in alijs potentijs invenitur.

SECTIO II.

Utrum in intellectu detur habitus.

⁹ CUM nonnullis negat P. Hur. cuius fundamentum sunt duo: primo, quia intellectus est causa omnino necessaria ut est visus, & auditus propositis obiectis; ergo est habituum incapax, qui tantum ponuntur ad inclinandam potentiam, qui finis cessat cum potentia est ad aliquid omnino inclinata.

¹⁰ Secundo, quia ad prima principia sufficit species, qua intellectus ad assentiendum determinatur; ad conclusionem determinant præmissæ omnino; ergo superfluous est habitus.

SVBSECTO I.

Nostre sententia proponitur, & probatur.

¹¹ CONCLUSIO: in intellectu dantur veri, & proprii habitus, sic P. Suarez in metaphysica tom. 2. disp. 44. de habitibus sect. 4. §. nihilominus tam. num. 3. Salas disp. 2. sect. 4. disp. 78. num. 14. Rubius, Azor, Valensia, Conimbricenses, & alij.

¹² Est manifesta sententia Divi Thomæ 1. 2. q. 54. art. 4. ubi sic ait, ille qui in aliqua scientia acquirit per demonstrationem scientiam unius conclusionis habet quidem habitum; sed imperfecte, cum vero acquirit per aliquam demonstrationem scientiam conclusionis alterius non aggeneratur in eo alius habitus: sed habitus qui prius inhaeret fit perfectior, sic Divus Thomas.

¹³ Ad quæ nequit dici intelligenda esse de coordinatione specierum, cum certum sit ad novam rem cognoscendam novam advenire speciem. Item ipse Angelicus Doctor eadem 1. 2. q. 51. art. 2. & 3. dicit habitus intellectuales acquiri per actus intellectus, per ipsosque perfici, & q. 54. supra citata, art. 4. expresse dicit habitum esse simplicem qualitatem, & minime continere in se pluralitatem: atqui coordinatio specierum dicit pluralitatem necessario, quia coordinatio est dispositio plurium; ergo habitus secundum Divum Thomam non est coordinatio specierum formaliter: sed tantum effective, quatenus habi-

tus est habitus, quam intellectus acquirit ad ordinate utendum his speciebus, & recte iudicandum secundum illas; & in hunc modum existimo cum P. Suarez interpretandum esse Divum Thomam quotiescumque habitum scientiæ appellat ordinationem specierum; non enim solas species posuit in intellectu, ut ex alijs locis constat. Nec intelligere potuit illam ordinationem esse aliquid reale additum speciebus, & intrinsece seu formaliter in eis existens, quia talis ordinationis intelligibilis non est, ut ex infra dicendis patebit; debet ergo intelligi de ordinatione quasi efectiva, seu extrinseca quam habent species ex vi habitus scientiæ, cuius sunt veluti instrumenta.

Nec refert quod quest. 24. de veritate, art. 2. dixerit, quod specierum aliquis ordinatio habitum efficit; imo si hæc verba in rigore sumantur potius nobis favent, quia distinguit habitum ab speciebus; unde per ordinationem specierum sibi intelligere possumus non habitualem ordinationem, sed actualem, id est, ordinatum vsum earum, quo habitum acquirimus, & eodem modo intelligendum est, id, quod ait Divus Thomas scientiam nimirum habitum augeri acquirendo novas species, non est intelligendum formaliter: sed causaliter, quia nimirum acquisitionis novis speciebus fiunt actus, quibus habitus augeatur. Non est autem inconveniens admittere interdum nomine scientiæ significari ipsum habitum cum suis speciebus, & hoc modo aliquas denominationes accipere ratione specierum, non tamen propterea excluditur habitus iudicativus ab speciebus distinctus.

Est etiam expressa sententia Aristotelis, qui 6. 14. Ethicorum, cap. 3. & 1. posteriorum cap. 28. & 26. dividit virtutes mentis in intellectum, sapientiam, scientiam, prudentiam, & artem; & lib. 1. Ethicorum, cap. 13. ponuntur ab Aristotele habitus intellectuales, qui sunt virtutes in intellectu, & lib. 2. cap. 1. quinque numerantur ab ipso lib. aut. 6. cap. 3. earum duas docet esse practicas, scilicet artem, & prudentiam, quas certe non constat consistere in solis speciebus, quæ facile acquiruntur, & memoriæ etiam mandantur: sed in alio habitu magno vsu, & habitudine acquisito; unde sæpe Aristoteles, quoad hoc æquiparat duos habitus virtutibus moralibus, ut patet ex 9. metaphysicorum, & 2. Ethicorum, cap. 1.

SVBSECTIO II.

Rationibus probatur conclusio.

PRIMO, nam in intelligendo est difficultas, quod experientia constat (quod si adversarij illam negent, gratias agant numini quod aperuerit illis sensum, & dederit illis intelligentiam, & faciem eisdem ad scientias abstrusas, & reconditas aditum referaverit), & faretur id sacra Scriptura, dicens alicubi cunctæ res difficiles, nec valet eas homo explicare sermone, & alibi deprimit terrena inhabitatio sensum multum cogitantem; cum ergo difficultas sit providentissima naturæ incumbere ut habitus, & facilitates impertiretur intellectui, quibus vinceretur illa, & ita vsu, evenit, ut exercitio scientiarum evadamus scientissimi.

Nec

- 16 Necessitas id esse ob perfectiorem speciem, nam species non præbet facilitatem: ergo illa non sufficit; probatur antecedens, nam species tantum requiritur ob determinationem potentiae: sed determinatio, & facilitas sunt diversae: ergo talis facilitas non tribuitur ab specie: maior est clara, & doctrina communis, eorum quibuscum pugnamus, in effectu enim tantum formalitas talitatis speciei respondet; item datur determinatio speciei, & non facilitas: ergo facilitas ab specie non provenit; probatur antecedens, nam si homini logice in expeto dicas ut tibi ex his tribus terminis; homo, animal, Petrus efficiat syllogismum in forma, & figura, non ita facile illum efficiet, ac ille qui præcepta Logice iam pridem hausit, imo egerime, & difficillime id executioni mandabit, quæ difficultas non provenit ex defectu specierum, nam ille omnium illorum habet species; ergo ex defectu habitus promptitudinem tribuentis.
- 17 Dices id provenire ex eo quod non habeat perfectionem specierum.
- 18 Sed contra, nam qualibet speciei imperfectio sufficit; ista enim tantum requiruntur ratione determinationis ut dixi. Et præterea cum intellectus sit causa necessaria necessario determinabitur, quod est tum fundamentum. Denique perfectio specierum erit ad perfectiorem cognitionem, diversum autem est esse cognitionem perfectam, & facilem, nam facilitas stare cum imperfectione potest, actus enim imperfectos facillime exercemus: ergo pro facilitate diversum principium est ponendum.
- 19 Vergetur, quia sine specie nullo modo fieri potest actus à tali specie proveniens, species enim ex eo quod complet incomplementum potentiae in genere causæ, est simpliciter necessaria ad operandum actum ad quem inclinat talis species, & cuius virtualis representatio est; potentia enim visiva sine specie impressa lucis nullo modo producere potest actum videndi lucem, & sic de cæteris potentijs, quia potentia sunt causæ partiales, & ex se insufficientes ad actum sive perfectum, sive imperfectum sine concursu speciei sive perfectæ, sive imperfectæ; unde à posteriori evidenter colligitur duos homines unum, qui multo temporis spatio egerime, & difficillime fecit aliquem actum, sive concionandi, sive arguendi, &c. qui in se bonus, & perfectus sit (multi enim ut ipsa evidens experientia docet, licet tardissime, & difficille operentur, perfectum opus, & consummatum solent efficere, quod propter evidentiam experientia nullus audebit negare) alterum, qui facillime idem aut æque perfectum opus operatur habere species impressas æque perfectas illius operis, quia si illas non haberent, nec tarde nec facile possent producere illud opus, quia species, ut dixi, est ita necessaria ad operandum ut sine illa nullo modo possit potentia facere talem actum.
- 20 Et nihilominus ij duo homines qui æquales essent in speciebus impressis non essent æquales in facilitate producendi; siquidem unus facillime, alter difficillime idem, vel æque perfectum opus operaretur; ergo facile operari non provenit à perfectione, vel imperfectione speciei, vel à quacumque ratione se habente ex parte specierum, sive sit ordinatio, sive intentio, &c. patet hæc consequentia, quia adhuc stante perfecta specie non datur facilitas in operando; ergo facilitas
- R. P. de ph. de Penafiel Theol. Schol. Tom. I.

separatur ab illis speciebus perfectis, & ordinatis, separari enim est dari unum sine alio; ergo ordinatio, & perfectio specierum distinguitur à tali facilitate in operando; ac proinde non erunt idem à parte rei, quia quæ separantur realiter distinguuntur, & non sunt idem.

Declaratur amplius, species perfectæ, & ordinatæ sunt causæ naturales, & non liberæ operis perfecti, & ordinati: ergo tales species operantur quantum possunt; sed in illo, qui tarde, & difficillime efficit opus perfectum, & ordinatum non producit facile: ergo facile producere non est effectus specierum perfectarum, & ordinatarum, quia si esset effectus, esset naturalis, & necessarius effectus, ac proinde necessario, & naturaliter produceretur ab speciebus ordinatis, & perfectis operantibus quantum possunt existentibus in potentia: atqui facile producere non oritur à tali potentia etiam stantibus speciebus perfectis, & ordinatis: ergo facile producere non procedit tanquam à causa ab speciebus perfectis, & ordinatis: ergo procedit ab alia causa distincta à talibus speciebus perfectis, & ordinatis nempe à facilitate: sed facilitas est habitus: ergo iam datur habitus in potentia intellectiva.

Præterea, quia hic, qui difficillime actum faciebat, etiam habendo species ordinatas, & perfectas ut nuper demonstravimus, per continuationem, & repetitionem eiusdem actus, multo tempore acquisivit promptitudinem in tali opere efficiendo, quam antea non habebat, etiam si haberet species perfectas, & ordinatas, ratione quarum, licet egerime, & difficillime opus perfectum, & ordinatum effiebat; ergo talis promptitudo acquisita per repetitionem, & replicationem, eiusdem actus distinguitur ab speciebus perfectis, & ordinatis; patet hæc consequentia, quia statim ac fecit primum actum perfectum, & ordinatum, etiam si cum difficultate faceret illum, habebat species perfectas, & ordinatas, quæ sunt causæ naturales simpliciter necessariae ad faciendum actum perfectum, & ordinatum, & nihilominus non habebat potentia promptitudinem, ad illum actum faciendum; siquidem maximam difficultatem habebat potentia ad illum actum, ordinatum, & perfectum efficiendum; atqui in eadem potentia non possunt esse simul promptitudo ad actum, & difficultas ad faciendum illum, quia difficultas, & promptitudo ad operandum opponuntur inter se; ergo promptitudo illa, & species perfectæ, & ordinatæ fuerunt separatæ realiter quando primum actum efficiēbat potentia, sed ea quæ sparantur, ut iam diximus, distinguuntur realiter; ergo promptitudo, & species ordinatæ, & perfectæ distinguuntur à parte rei.

Tunc sic, promptitudo ad operandum actum est facilitas ad efficiendum illum: sed facilitas ad efficiendum actum est habitus: ergo in intellectu datur habitus distinctus à parte rei ab speciebus ordinatis, & perfectis.

Secundo principaliter sic probatur, confirmando nuper dicta, quia species impressæ intellectui ex se solum possunt representare res simplices, & incomplexas: ergo ex vi illarum dantur, vel ex quacumque collectione earum, non fit homo facilis ad operandum actum scientificum, ac proinde non fit sciens, aut prudens: sed ex habitu, facilitate, & promptitudine utendi convenienter his speciebus, & componendi, ac discurrendi,

Pppp &

& præsertim iudicandi de rebus apprehensis, seu representatis per illas.

25 Dices hominem esse prudentem, & scientem non ex vi collectionis dumtaxat specierum: sed potius ex vi ordinationis illarum.

26 Sed contra manifeste, nam hæc ordinatio vt ponitur ab adversarijs videtur ficticia, & sine fundamento, quod vt clarius pateat, inquiri ab illis, quidnam sit hæc specierum ordinatio, nam species solum sunt qualitates quædam inhærentes intellectui in actu primo inter quas secundum se nullus potest intelligi ordo, nec secundum situm, cum sint in subiecto indivisibili, nec secundum inhærendi modum, quia vna non inhæret mediante alia, neque secundum aliquod aliud genus causalitatis, aut successionis vt per se constat: ergo ordinatio specierum nihil esse potest nisi habilitatem, promptitudinem, facilitatem, & habitum, quem intellectus acquirit ad ordinate vtendum his speciebus, & recte iudicandum secundum illas, ita vt talis habilitas non se teneat ex parte specierum formaliter, vt forma informans illas: sed potius se teneat ex parte potentie ad vtendum talibus speciebus vt convenit; vnde illa nullo modo debet dici esse species ipsas, nam species intelligibiles non requiruntur, nec se tenent ex parte potentie ad facilitandam illam, vt prompte operetur: sed potius requiruntur, & exiguntur ex parte obiecti ad supplendam præsentiam illius, qua determinaret potentiam ad sui representationem faciendam, quam non faceret illa si non determinaretur; vnde quia obiectum per se ipsum non potest determinare potentiam imprimere speciem illi, & subrogat illam vt tanquam vicarium, & semen ipsius concurret cum potentia ad tale opus determinatum, quod non posset producere sola potentia sine concursu talis speciei; vnde illa est simpliciter necessaria ad operationem, & non tantum ad melius, hoc est facilius, & promptius, & habilius talem operationem faciendam sicut habitus; ergo præter species intelligibiles requiruntur habitus in intellectu, qui adiuvant illum ex parte ipsius, & ad assentiendum, & iudicandum facilem, & promptum reddant eundem: patet consequentia, quia intellectus in artificiose iudicando, & discurrendo tum secundum regulas Logice, tum secundum Canones Poësis, & Rethoricæ, maximam difficultatem patitur etiam post acquisitas species obiectorum, vt iam satis probavi, & ideo in principio magna inquisitione, & consideratione indiget; post consuetudinem vero, vel frequentiam actuum, magnam experitur facilitatem: ergo signum evidens est post talem frequentationem, & repetitionem actuum, acquiri habitum distinctum à parte rei ab ipsis speciebus.

27 Quod etiam inductione constat, nam in intellectu vt optime advertit Pater Suarez, quidam sunt habitus, qui dicuntur virtutes, & alij qui non sunt virtutes, & similiter, quidam dicuntur practici, alij vero speculativi: hæc autem distinctiones vix, aut nullo modo possunt applicari ad species intelligibiles, Rursus de habitibus, qui non sunt virtutes, negari non potest quin sint distincti ab speciebus, quia etiam post acquisitas species, imo, & post actualem considerationem medijs seu rationis assentiendi adhuc intellectus est indeterminatus: ergo est capax ha-

bitus, quo in ea determinatione facilitatem, & promptitudinem acquirit.

Dices eam determinationem esse à voluntate 28 movente intellectum, & ideo non esse necessarium habitum in intellectu, quia posita motione voluntatis intellectus ex necessitate essentiali respondetur etiam si in his actibus voluntas aliquo modo moveat intellectum, etiam ex parte eius postulare optimam dispositionem, vt prompte, & faciliter obediat, maxime cum intellectus non moveatur à voluntate ad assensum nisi rationali modo; atque ita in assensu fidei divina præter habitum piæ affectionis qui est in voluntate, ponunt Theologi in intellectu habitum fidei divine, & proportionali modo datur habitus intellectualis fidei humanæ vel opinionis.

Confirmatur, quia duplex est potentia naturalis, alia quæ incapax est facilitatis ratione vsus, & actuum frequentationis, sicut etiam incapax est artificialis rationis in entitate suorum actuum, vt v. g. potentia visiva, & pene omnes sensus interni, & externi, inter quas etiam numeranda est potentia nutritiva, & hæc potentie adeo determinatæ sunt ad substantiam, & modum actus, vt ad illa nullo indigeant adiumento facilitante, quia ex sua natura semper faciles sunt, & sine ulla difficultate actus operantur; vnde tam facilis est potentia visiva, quoad primum actum quam quoad ceteros, neque vllam difficultatem patitur in operationibus exercendis, ac proinde repetitione, ac frequentatione actuum videndi nullam facilitatem acquirit: sed facilitas ad operandum est habitus: ergo nullum habitum acquirit replicatione actuum, & ideo dicitur ab Aristotele, & Divo Thoma esse incapacem habitus.

Alia potentia naturalis datur, quæ difficultatem patitur in operationibus, quia est capax, vel artificij vel alterius rationis in suis actibus ad quæ non est omnino determinata, nam est indifferens ad artificiosum opus, & ad opus sine artificio factum, vt evidenter patet in potentia motiva quæ reperitur in pedibus, & in manibus, ac cæteris partibus corporis humani, quæ ex eo quod subdita sit voluntati, & intellectui humano, dirigitur ab illis ad artificiose operandum, vt videre est in saltando in cytharam pulsando, scribendo, canendo, & cæteris, ad quos actus artificiose factos ex se non omnino determinata est, quia potius ex se magis inclinatur in opera non artificiose facta, ratione cuius vt artificiose operatur indiget directione, & regulis artis, sine quibus absque dubio maxime erraret, vt passim experientia constat. Quapropter non statim, sed multo temporis intervallo assuescit ad talia opera cum rectitudine faciendi, quia multam difficultatem patitur in talibus operibus exercendis secundum Canones, & regulas artium, ac proinde vsu, & exercitatione circa illa facilitatem maxime acquirit, habiliusque magis, & prompta in dies redditur ratione talis facilitatis frequentatione, & repetitione actuum acquisita: sed talis facilitas est sine dubio habitus, vt ex definitione supra posita patet: ergo licet aliqua potentia naturalis (ex eo quod omnino determinata sint quoad modum operandi, & quoad substantiam actus, & propterea nullam difficultatem patiantur, vt patet in exemplo posito: potentia visiva) sint incapaces habitus, nihilominus

nus aliæ potentie naturales, quia difficultatem patiuntur in operationibus, &c. sunt capaces habitus.

31. Tunc sic. Intellectus licet sit potentia naturalis, habet difficultatem in actibus, & est indifferens ad artificiose operandum, & sine artificio, subditurque potentie omnino liberæ, & indifferenti, indigetque regulis, & canonibus artis ad non errandū, &c. ergo licet sit potentia naturalis indiget aliqua facilitate ad vincendam difficultatem, quam habet, (contraria enim contrariis vincuntur, & superantur) quam facilitatem frequentatione, & usu actuum acquirit propter quam promptior, & habilior in dies redditur, ut ipsa evidenti experientia patet ad actus scientiarum, & artium recte faciendos; Quis enim potest dicere hominem studio scientiarum deditum nullam acquirere facilitatem circa conciones, orationes Rhetoricas, carmina, argumenta Logica, disceptos Philosophicos, metaphysicos exercendos assequi usu, & repetitione huiusmodi actuum? certe hoc in dubium revocaret lucem meridianam iret inficias.

32. Sed facilitas acquisita per actus est habitus; ergo intellectus habet habitus circa scientias, & artes.

33. Declaro amplius hoc, & per impossibile supponamus circa evidentes conclusiones sufficere species ordinatas, & intellectum non indigere habitu circa illas, nihilominus quando ultra evidentes cognitiones, & singulares effectus clare, & manifeste cognitos ex illis devenit est ad iudicium probabile, & opinativum alicuius conclusionis indicatæ in illis effectibus, &c. ut postea intellectus ad hoc iudicium sit magis propensus non sufficiunt species, sed necessarius est habitus. Tum quia etiam in principio, licet intellectus magna perspicacitate, & facilitate videret talem conclusionem per talia signa verisimiliter indicari, nihilominus adhuc maneret quasi anceps, & indeterminatus an ita esset necne, & in hac indeterminatione ex natura rei necessario inest aliqua difficultas, quæ sine dubio minuitur ex consuetudine assentiendi alteri parti: sed hæc diminutio difficultatis ab habitu provenit, nec potest aliunde provenire; ergo in intellectu datur aliquis habitus saltem opinativus.

34. Tum etiam, quia sicut intellectus potest facile recordari postea omnium signorum, vel coniecturarum, quæ ipsum ad talem assensum induxerunt, ita etiam potest facile non statim applicare mentem ad hæc omnia considerata, & nihilominus proposita illa probabilis propositione ex usu poterit maiori facilitate, & propensione, ad illius assensum determinari, quæ facilitas, ut iam diximus habitus est sine dubio.

35. Ultimo sic arguuntur. In voluntate à te ponuntur habitus; ergo & in intellectu, probo consequentiam, nam etiam si voluntas multos habeat actus necessarios, nihilominus habet habitum, ex quo proveniunt tales actus, ut sunt actus primo primi, qui subiti dicuntur, qui multoties ante advertentiam necessariam ad libertatem pullulant, & emergunt ratione habitus; unde ex Aristotele, quem omnes admittunt, in subitis dicimur ex habitu operari; ergo licet intellectus habeat actus necessarios poterit habere habitus ex quibus tales actus oriuntur cum facilitate.

36. Imo si habitus tolluntur ex intellectu, sequitur in voluntate non esse ponendos, probo sequens. R. P. Ildeph. de Peñañel, Theol. Schol. Tom. I.

Iam, nam habitus ponitur à vobis in voluntate ut eius indifferentia determinetur; est enim liberæ; sed ad hoc sufficit perfectio specierum: ergo in illa habitus non sunt ponendi; probo minorem, nam cognitio, ut ait Hurtado, determinat voluntatem, imo impellit eam: ergo aliquo modo indifferentiam flectit; ergo quo perfectior fuerit cognitio magis flectet, & inclinabit etiam perfectissima maxime; cur ergo aliud principium sit ponendum? equidem ego libentius habitus prorsus tollerem, quam illos vni non alteri potentie negarem; eos enim ex difficultate quam paulatim videmus vinci colligimus, quæ non magis appareret in voluntate, quam in mente.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta Adversaria solvantur.

AD primum respondeo, quod quamvis intellectus sit potentia naturaliter agens, nihilominus ut optime advertit P. Suarez ex parte obiectorum, & mediorum quibus vitur ad ferendum de rebus iudicium sæpe non satis determinatur, neque necessitatur, & tunc est utilis habitus ad inclinandum intellectum in vnam partem potius quam in aliam, imo etiam quando ratio seu medium asserendi est evidens non semper actu, & formaliter applicatur seu consideratur habitus autem deservit ut feratur iudicium absolute expressa, & formali applicatione medij, ut in exemplo illo de actu scientiæ, quamvis ante habitum acquisitum non possit quis præbere assensum evidentem conclusionem nisi adhibita formali, & expressa demonstratione, tamen post acquisitum habitum non semper indiget illo discursu, sed proposita tali veritate, statim ex habitu illi præbet assensum evidentem. Et si quis postea velit demonstrationem applicare, etiam ad hoc erit utilis habitus ut multo promptius, & facilius possit uti speciebus ad applicandum proprium medium, quo talis veritas demonstranda est; sicut etiam ad assensum scientificum necessaria est evidentiæ non tantum præmissarum, sed etiam illationis, & tamen non est necesse, ut quotiescumque assensus scientiæ eliciendus est, feratur expressum, ac formale iudicium de bonitate illationis, sed sufficit, ut ex habitu id faciat intellectus tanquam quidpiam evidens, & certum, & ad hoc multum deservit habitus dialecticæ. Denique eadem ratione etiam circa prima principia potest acquiri habitus, quia licet in se sint per se nota, nos vero in eis agnoscendis sæpe difficultatem patimur; unde talis habitus deservit, ut debite componendo ipsos terminos per species apprehensos, facilius veritatem intueamur immediata eorum connexionem.

Aliter alij probabiliter respondent, dicentes; 38 habitum non pugnare cum necessitate, quia id quod necessario fit, fieri potest cum maiori, aut minori conatu potentie quem habitus supplet.

Ad secundum eodem modo potest responderi dicendo ad omnia illa habitus dari, quia omnia illa fieri possunt cum maiori aut minori conatu potentie, ac proinde ad omnem actum intellectus habitum posse dari, quia ille potest cum minori conatu potentie fieri pro quo supplendo habitus requiruntur.

